

DE

ANICIO MANLIO SEVERINO BOËTHIO,

CHRISTIANAE DOCTRINAE ASSERTORE.

Disputatio theologica,

quam

AUCTORITATE

ORDINIS THEOLOGORUM EVANGELICORUM

SUMME VENERABILIS

in academia Ludoviciana

pro venia docendi rite impetranda

die XIX. Martii MDCCCXLI.

publice defendet

***Gustavus Baur*,**
philosophiae doctor, S. S. Theologiae Licentiatus.

DARMSTADII.
Typis E. Bekkeri, typographi aulici.
MDCCCLXI.
1841.

Viris illustrissimis et doctissimis

Carolo Augusto Credner,

philosophiae et theologiae doctori, in Academia Ludoviciana professori p. o.,

Joanni Augusto Vullers,

philosophiae doctori linguarumque orientalium in Academia Ludoviciana professori p. o.,

praeceptoribus carissimis studiorumque fautoribus amplissimis,

et

Carolo Christiano Baur,

illustris gymnasii Darmstadini subconrectori,

avunculo dilectissimo,

has studiorum primitias

grato, quo decet, animo summaque pietate

D. D. D.

auctor.

Vix unum inter clariores antiquitatis scriptores esse puto, cuius vitae studiorumque ratio tam discrepantibus virorum doctorum sententiis proferendis ansam praebuerit, quam *Anicii Manlii Severini Boëthii.* Ut de ipso nomine viri in magna semper erant dissensione ac varietate, ita de anno eius natali, de loco, ubi eruditionem, qua deinde insignis erat, sibi paraverit, de muneribus, quibus functus, de dignitatibus, quibus ornatus sit, de uxore et liberis, de mortis denique cruentae causa ac ratione maxime variae sunt doctissimorum hominum ac maxime discrepantes sententiae. — Nulla vero res est, de qua tanto opere dissentiant, quam *de necessitudine, quae inter Boëthium ac Christianam fidem theologiamque intercedit.*

Omissis igitur indiciis, quae ad illustrandam conditionem illam, vel amicam, vel inimicam, e vita externa agendique ratione, quam Boëthius secutus est, desumi possunt, necessitudinem illam quod attinet ad operam ab eo in liberalissimis studiis ac doctrinis collocatam explicandam nobis proposuimus. Attamen, ut de quo homine qualique disputemus, clarius in memoriam reducatur, *brevem rerum Boëthii narrationem* praemittimus; in qua si forte quaedam nova videantur et minus probata, ignoscat lector benevolus oro rogoque, quum firmissimum ceperim consilium nihil dicere, nisi quod argumentis ex antiquissimis et clarissimis fontibus desumtis fulciri possit, spe-

remque fore, ut facultas mihi praebeatur ea, quae de Boëthii vita proferam, latius enarrandi ac probandi, id, quod hic non agitur.

Anicium Manlium[1] Severinum Boëthium,[2] filium

[1] Studium genus nostri ad clarissimum illum Manlium Torquatum referendi effecit, ut inter Boëthii nomina saepe *Torquati* nomen legeretur; quod manifestum est e spurio quidem, sed certe veterrimo, qui *Bedae* adscribitur, commentario in Boëthii de trinitate libellum (cf. Bedae ven. opp. Bas. 1563. tom. VII. p. 1088), ibi enim haec leguntur: »Manlius Torquatus fuit quidam Romanae reipublicae fidelis --, de cuius genere ortus est Boëthius. *Hinc dicitur Manlius.*« Eodem modo *Philippus Bergomensis* (ante ann. 1500. -cf. testimonia Variorum in editione libri Boëthii de cons. phil. quae Londoni a. 1823 prodiit p. 51.) et *Baronius* (ann. eccl. ad a. 522.) Torquati nomine omisso, Manlii nomen ad Torquatum illum referunt; multi denique iique docti viri, qui Boëthii res narraverunt inter cognomina eius Manlium non commemorant; cf. *Martiani Rotae* vit. Boëth. in ed. opp. Boëth. Basil. 1546; *Lil. Greg. Gyraldi* (†1551) opp. Lugd. Bat. 1696. tom. II. pag. 298 sq.; *Pagii* crit. hist. chron. ad a. 487; *Sirmondi* not. ad Enn. p. 38; inter recentiores: *Gibbonis*.„hist. of the decline“ cet; *Schleiermacheri* „Geschichte Theoderichs, rheinisches Taschenbuch für 1810,“ p. 328. —

[2] Utrum *Boethius*, an *Boetius* scribendum sit, incertum est, quum et in inscriptionibus „Boëthius“ legatur, ut in Bresciano, quod dicunt, diptycho (cf. *Gorii* thesaurum vett. diptychorum etc. Florentiae 1759, tom, I. p. 132—202), modo „Boëtius“, ut in monumento antiquo, de quo Sirmondus ad Enn. ep. VIII. l. p. 38 et VI. 6. p. 30 plura enarravit, et veteres scriptores utraque scribendi ratione utantur. Verisimile tamen est, quum et *Procopius* Βοέτιος scribat, hanc scribendi rationem, quam *Ennodius* secundum Sirmondum, *Isidorus Hisp.* sec. Arevallum (Isid. opp. omnia, Romae 1797—1803, tom. III. p. 103, 112, 116, 119). *Alcuinus* sec. Frobenium (Alcuini opp. Ratisbonae 1771), *Hincmarus* Rhem. sec. Sirmondum (Hincm. opp. Lut. Par. 1625, tom. I. p. 211, 460, 519, 521, 474, tom. II. p. 60), *Anastasius* bibliothecarius (de vit. Rom. pont. sub ausp. d. n. Clem. XI. Rom. 1718, tom. I. p. 94—97) secuti sunt, maxime usitatam fuisse, etiamsi „Boëthium“ scriptionem, qua *Chro-*

fortasse Flavii Boëthii,[3] qui ann. 487 consulatu functus est, atque nepotem Boëthii illius, praefecti praetorio Valentiniano tertio regnante interfecti,[4] post ann. 473 natum esse exploratum est, atque eum non ita multo ante ann. 480 Romae in lucem editum esse verisimile.[5]

nicon paschale (Dind. corp. scriptt. hist. Byz. vol. I. p. 605), *Cassiodorius* sec. Garetium (Cass. opp. omnia, Venetiis 1720), *Anonymus Valesianus* sec. Gronovium (Ammiani Marc. rer. gest. libb. Lipsiae 1773), et omnes fere recentioris temporis scriptores usi sunt, vocis origo commendat, quod iam doctissimo Sirmondo placuit, qui in notis ad Ennod. ep. VI. 6 p. 30 ita hac de re disputat: „— alii Boetium scribunt, alii Boethium, *quod quidem, si Graecae vocis origo spectatur, rectius erat, sed usus obtinuit, ut Boëtium potius dicamus.*"

3) *Pagius* (ad an. 522), primus Boëthium philosophum alium esse, atque eum, qui a. 487 consulatu functus esset, actis concilii Romani tertii probavit, quae Boëthio illi „*Flavii*" cognomen tribuunt. Nescio igitur, cur *Handius* (cf. vitae Boëthii narrationem in „Ersch und Gruber, Encyklopädie" cet.) hoc cognomen ementitum esse patremque philosophi idem plane nomen ac Boëthium nostrum habuisse contenderit.

4) cf. *Cassiod.* chron. ad a. 455 p. 36; *Victorem Tunensem* chron. ap. Galland. tom. XII; Selecta ad chron. pasch. l. c.

5) Qui ad augendam clarissimi viri gloriam Boëthium ter consulatu functum esse contenderunt, annis nimirum 487, 510 et 522, quibus fasti consulares Boëthium consulem quendam commemorant, ii praefectum illum praetorio, a. 455 interfectum patrem Severini Boethii habebant, eumque non infra illum annum natum esse putabant. Etiamsi omittimus, eum, qui a. 487 consulis dignitate ornatus est, Flavium Boëthium fuisse, non An. Manl. Sev. Boëthium (cf. not. 3), apparet tamen, Boëthium circa a. 480 natum esse e consolatione philosophiae, quam circa a. 525 scriptum esse constat, et in qua (cf. lib. I. metr. 1, v. 9—11) „malis *properatam* senectutem" „*intempestivosque* vertice fusos canos" queritur, et ex Ennodii sriptis, qui tempore, quo Theodoricus Italiam ingressus est, (a. 489) sextum decimum aetatis annum se egisse narrat, ac qui nostrum non ut aequalem tantum, sed etiam ut juniorem tractat virum cf. *Ennodii* eucharisticum de vita sua; bibl. PP. VI. p. 268; in ed. Sirm. p. 434.

Jam a puero patre orbatus clarissimorum virorum Festi atque Symmachi, patriciorum, curae traditus est, quibus ducibus Romae artes studiaque coluit exactisque studiorum tirociniis, quum mira assiduitate iuvenis virorum scientiam aequaret, ipse praeceptoris provincia functus esse videtur.[6] Ab ineunte iam adolescentia patriciorum

[6]) cf. *Ennod.* paraen. did. p. 445 sq. ep. VII, 13. — Sententia, quam hic protulimus, maxime diversa est ab alia, quam longe plurimi rerum Boëthii scriptores secuti *Boëthium valde juvenem Athenas petiisse* tradiderunt, ibique in liberalium artium studium per longum temporis spatium incubuisse. Attamen haec sententia, quam ipsum altum, quod hac de re Boëthius ipse in scriptis suis tenet, silentium, dubiam reddit, nullo modo firmari potest nisi unico testimonio libelli de disciplina scholarium, quem falso Boëthio tribui neminem fugit; ibi enim haec hac de re leguntur: „Cum parentis mei providentia - - Athenas studii ob causam me misisset, - - annis duobus de viginti Athenis convalui (cf. Boëth opp. p. 975)." *Baronius,* cui persuasum erat, Boëthium auctorem scripti illius esse, primus sententiam illam divulgavit, quam deinde omnes fere scriptores, etiamsi proprium illius fontem ignorarent atque etiam falsum haberent, secuti sunt, ut *Bertius* in praef. ad B. opp. *Funckius*, de inerti ac decrep. lat. ling. sen. Lemgoviae 1750 p. 226 sqq., *Cellierus*, hist. générale des auteurs sacrés cet. Par. 1748, tom. XV. p. 467—483, quorum inconstantiam iam *Clericus* (bibl. choisie. tom. XVI. p. 195 sq.) iure his verbis reprehendit: „Le livre de disciplina scholarium a fait dire au Cardinal Baronius qu'il (Boëce) avait été dix-huit ans à Athènes pour y étudier; mais ce livre est si impertinent et si barbare, qu'il n'en faut pas beaucoup lire pour voir, qu'il n'est nullement de Boëce. Il semble au contraire que Boëce n'avait jamais été à Athènes, comme on le verra dans la suite. — — *Il y a lieu d'être surpris après cela que d'habiles gens aient copié Baronius, sans prendre garde, qu'il ne s'appuyait que sur l'autorité de cet imposteur;*" idem hac de re senserunt *Chaufepieus* nouv. dict. etc. tom. II. p. 355 sqq.; *Tiraboschius*, storia della let. ital. tom. III. p. 46 sqq.; *Handius* l. c. Alii scriptores, ut *Sam. Basnagius* (ann. pol.-eccl. ad a. 524), *Gibbo* (l. c.), *Manso* (Geschichte der Ostgothen Breslau 1824, p. 156, not. e.), qui spurium illum de

dignitate ornatus adscriptusque illustrium senatorum

disc. scholarium librum solum huius sententiae fontem fulcrumque esse bene scientes, eam tamen, ut quae tot seculorum auctoritate sustentata esset, repudiare noluerunt, ad illam firmius probandam loco quodam epistolae, quam Cassiodorus ad Boëthium scripsit, usi sunt, quem hic integrum proferre iuvabit: „Sic enim Atheniensium scholas longe positus (al. positas) introiisti, sic palliatorum choris miscuisti togam, ut Graecorum dogmata doctrinam feceris esse Romanam:“ (cf. *Cass.* var. I. 45). Quae tamen verba, quum Cassiodorius ipse ad eorum interpretationem mox addat: „*Translationibus enim* tuis Pythagoras Musicus, Ptolemaeus Astronomus leguntur Itali cet.“ pro Cassiodorii tumida scribendi ratione sensu improprio intelligenda videntur ita, ut haec significent: „Quamvis longe semper locorum intervallo ab Athenis disiunctus fuisses, translationibus tamen tuis tantam literarum Graecarum probasti scientiam, ut ipsas Athenarum scholas re vere frequentasse videreris.“ Tantum igitur abest, ut locus, quem commemoravimus, sententiae illi probationem afferat, ut eorum iudicio accedendum sit, qui eo usi sunt, ut Boëthium Athenas nunquam attigisse probarent, *Clericum* dico (l. c. p. **204**: „Il semble que ces mots *longè positus* marquent assez clairement, qu'il n'avoit jamais été à Athènes; ce qui détruit la fable du Moine, auteur du livre de disciplina scholarium, qui l'y fait étudier dix-huit ans“), *Mazzuchellium* (gli scrittori d'Italia, p. **1411**), *Tiraboschium* (l. c. p. **47**: „Le quali parole sono state non bene intese da alcuni, ed anche dal Muratori (Ad a. **510**), come se indicassero, che Boëzio fosse stato in Atene; mentre Teodorico vuol qui accenare soltanto lo studia della Graeca Filosofia, e perciò dice, che benchè stesse lontaro, pur avea penetrato nel scuole Ateniesi“), *Handium*, (l. c. p. **284**). — Qui tamen omnes scriptores quae Cassiodorus ipse ad verba illa illustranda adjunxit omittunt, ita, ut sensus ambiguus maneat atque neutri sententiae probandae locus inservire possit. Igitur quum Boëthium per aliquod tempus Athenis literis vacasse ut firmis probent argumentis scriptores illi frustra operam dent, atque in ipsis philosophi scriptis nihil omnino reperiatur, quod Atheniensium tum temporis philosophorum scholas redoleat, sententia, quam supra protulimus, eo magis probata nobis videtur, quod Festus et Symmachus, clarissimi Boëthii juvenis tutores, praefectura ur-

numero [6, b)] primum quadrivio mathematico pertractando operam dedit. [7)] E scriptis, quae hoc consilio composuit, duo libri de arithmetica, quinque de musica, duo de geometria reliqui sunt. [8)] Logica deinde Graecorum

bis functi sunt, cuius erat scholas, quae Romae Theodorici et Cassiodorii opera floruerunt, administrare; cf. *Mansonem* l. c. p. 132 sqq, praecip. not. v.), *Cass.* Var. IV. 6. l, 39 — Solum igitur studium eruditionis, qua Boëthius clarus erat, gloriam augendi Athenas ei literarum sedem, in qua liberales artes addisceret, praescripsisse videtur, id quod eodem modo Joanni Scoto Erigenae contigit, de quo Staudenmeierus his verbis, nostrae quidem sententiae plane congruis, praeclare disseruit: „von jeher hat man versucht, geistige Erscheinungen, die zu groß sind, als daß sie sich aus dee nächsten Umgebung erklären ließen, nach andern Rücksichten und Bestimmungen sich begreiflich zu machen;" cf. Scotus Erigena und die Wissenschaft seiner Zeit, 1 Theil, Frankf. a. M. 1834. p. 145 sq. —

6, b) cf. *Cass.* Var. 40 et 41, quae epistolae non ita multum post an. 496 compositae sunt. *Ennodii* paraen. did. — *Boëthii* cons. phil. lib. I. pros. 3.

7) Quamvis „*quadrivii*" voce in libro de Arithm. p. 988 Boëthius utatur, eorum tamen sententia falsa iudicanda est, qui Boëthium auctorem habuerunt divisionis illius liberalium artium in septem disciplinas, quarum priores tres, grammaticam dico, dialecticam, rhetoricam, trivii, posteriores quatuor, musica, arithmetica, geometria, astronomia, quadrivii nomine appellabantur. *Marcianus Capella* enim hac iam divisione usus erat, a quo Cassiodorius eam mutuatus est et per totam mediam aetatem introduxit (cf. *Fabricii* bibl. lat. tom. III. p. 138—140, *Bruckeri* hist. crit. phil. tom. III. p. 594 sqq. *Gregorii Tur.* hist. Franc. lib. X., in bibl. Patt. Col. tom. VI. part. II. p. 515). Tantum igitur abest, ut his septem disciplinis Boëthius omnes artes doctrinasque circumscripserit, ut iis propaedeuticum tantum tribuerit usum; neque trivium illud, ut mediae aetatis, quam dicunt homines, quasi exercitationem tantum quadrivii altiores disciplinas antecedentem habuit, sed — ut Cassiodorii verbis utar — „per quadrifarias mathesis ianuas" introeundum in philosophiae sacrum putavit; cf. de Arithm. l. c.

8) Boëthium et de *astronomia* librum composuisse cum eam ob rem verisimile est, quod Boëthio non nisi quadrivio

scripta Romanis tradenda iam adgressus Porphyrii isagogen a Victorino translatam duobus libris interpretatus est, tum in idem opus ab ipso translatum duorum librorum commentarium composuit, et proxime ad veritatem accedit, priorem quoque duorum librorum, quibus Aristotelis praedicamenta transtulit atque interpretatus est, ante a. **510**, quo consulatu functus est, compositum esse. Quo opere, dum hac dignitate ornatur, ad finem peracto, in Aristotelis de interpretatione libellum duplicem commentarium, duorum alterum, alterum sex librorum, composuit et Aristotelis priora et posteriora analytica, utraque duobus libris, transtulit et introductionem in syllogismos categoricos librosque duos de syllogismis categoricis, de syllogismis hypotheticis tres scripsit. Translatis tum Aristotelis topicis librorumque octo commentario, qui nunc inter Boëthii scripta non invenitur, [8.b)] exstructis, Ciceronis topica totidem transtulit et explicavit libris, quorum quinque tantum sextique partem superesse maxime sane dolendum est. Duobus deinde de divisione ac definitione librisque quatuor de differentiis topicis compositis publica, quibus philosophus noster distinebatur negotia, ac mors inexpectata impediverunt, quo minus Aristotelis et Platonis concordiam — id, quod

mathematico pertractato de philosophicis disciplinis commentari in animo erat, tum Cassiodorii (Var. I. 45) testimonio confirmatur, qui Ptolemaeum Astronomum aeque atque Archimedem mechanicum translationibus eius Latinis redditos esse narrat; quod quidem testimonium, quum tumido et parum distincto, qui Cassiodorio placuit, sermone expressum sit, haud magni momenti esse libenter equidem concedo. —

8.b) Commemoravit hunc commentarium B. in libro de diff. top. p. 887 his verbis „— quemadmodum rhetoricae facultatis argumenta ducerentur — in his commentariis diligentius expedivimus, qui a nobis in eiusdem Ciceronis topica conscripti sunt. Quo autem modo de his dialecticis rationibus disputetur, *in his commentariis, quos in Aristotelis topica, a nobis translata, conscripsimus*, expeditum est.“

sibi proposuerat — demonstraret.[9] Exceptis igitur parvulis duobus, qui ad metaphysicas quaestiones spectant, „de unitate et uno“ et „de bono“ libris ac theologicis tribus, quos ab alio compositos esse num recte nonnulli suspicentur, mox exponemus, omnia scripta praeter ea, quae supra commemoravimus, consolationemque philosophiae, in carcere compositam, Boëthio adscripta atque etiam illius nomine circumlata spuria sunt iudicanda.[10]

[9] Cassiodorius quidem inter scriptores a Boëthio in linguam Latinam translatos „*Platonem quoque theologum*“ recenset in epistola supra memorata (Var. I. 45), quae quin ante a. 516. scripta sit, dubitari non potest, quum autem etiam „Pythagoras musicus iis adnumeretur, manifestum est, nomina illa nihil significari nisi disciplinas a Boëthio maximo studio cultas, quamvis alia eorum, ut Nicomachi Arithmetici, Geometrici Euclidis, Aristotelis Logici nomina, scriptis re vera a Boëthio compositis respondeant. B. autem omnia Aristotelis scripta transferendi et de Platonis philosophia plura disserendi consilium habuisse, e libello de interpretatione ed. II. lib. II. p. 318 patet, ubi haec hac de re leguntur: »Ego omne Aristotelis opus — — in Latinam redigam formam. His peractis non equidem contempserim Aristotelis Platonisque sententias in unam quodammodo revocare concordiam et in his eos, non ut plerique, dissentire in omnibus, sed in plerisque, quae sunt in philosophia, maxime consentire demonstrem, haec *si vita otiumque supererit*, — — contenderim — —.«

[10] Plures eiusmodi *libros falso Boëthio adscriptos Jo. Tritenhemius* in catalogo script. eccl. (cf. cons. phil. Lond. ed. p. 53 et 54) et *Pet. Bertius* (ib. p. 17 et 18) enumeraverunt. Sed exceptis verbis, quae supra cf. not. [8.b]), unum, quod philosophus ipse de perdito quodam libello, dixit testimonium, in parvulo illo »de bono« commentario invenitur (cf. p. 963), sed ratio, qua illarum hebdomadum, quas dixit, mentionem fecit, domesticis praesertim studiis illas inserviisse, veri simile reddit. — Attamen huic sententiae locus in libello, quam *Sigebertus Gemblacensis* de scriptoribus illustribus composuit, prorsus contrarius esse videtur. Libri enim modo citati cap. 37 scripta B. duo recensentur, quae inter ea, quae B. nomine vulgo circumferuntur, frustra requiruntur, „*de cognatione dialecticae et rhetoricae*“ alterum, alterum „*de distinc-*

Boëthius enim, postquam magistri officiorum et fortasse urbi quoque praefecti muneribus functus est [11]) contigitque ei, ut duo filios e Rusticiana, Symmachi filia ac

tione rhetoricorum locorum". Quum insuper in Tritenhemii et Bertii scriptorum B. catalogis libellus „de locis rhetoricis" commemoretur, iam nemo non persuasum habuit Boëthium et de hac tertia trivii disciplina librum composuisse, quae sententia manuscripto ab *Angelo Maio* in bibl. Vat. nuperrime invento firmissime probata esse videtur (cf. Classicorum auctorum e vaticanis codd. editorum tom. III. cur. Ang. Maio cet. Romae 1831 p. 315 cet.) — Deprehendit enim vir clarissimus seculi XI. codicem, quem *inedita* duo tam praeclari scriptoris opuscula sibi largitum esse praedicat, „*de rhetorica cognatione*" alterum, alterum „*de locorum rhetoricorum distinctione*". Vocabulum quidem »dialecticae« a Sigeberto vel quovis alio obtrusum cum titulo codicis praeclari tum re ipsa satis probari visum est, quo igitur remoto Maius Sigeberti testimonio ad confirmandam scriptorum illorum integritatem uti non dubitavit. Ac profecto quis omnium dubitet, libellos illos ipsum Boëthium habere auctorem, quum illi nunquam non inter Boëthii scripta lecti sint; nihil enim in iis invenimus nisi truncata duo et passim corrupta fragmenta, quae coniuncta operis, quod „de differentiis topicis" Boethius scripsit, librum quartum integrum fere continent; qui quum opus quasi per se absolutum sit, solus descriptus et pro novo quodam libello habitus esse videtur.

11) Consolatione phil. (II. pr. 3), qua nostro plura officia, quae *magistri officiorum* erant, (cf. Cass. Var. VI. 6. Manso l. c. p. 359 sqq.) tribuuntur, comparata cum Anonymi, quem Valesius edidit, narratione, quae Boëthium magistri officiorum munere functum esse contendit, indubium fere fit, quin noster gravi illa atque honorifica dignitate gavisus sit. *Handius* quidem (l. c.) *Anonymi Valesiani*, quem dicunt, fidem in dubium vocavit, sed sola scribendi ratio rudem, sed fidum (cf. *Schlosseri* Weltgesch. II, 1. p. 11) virum indicat, qui ipsis rebus, quas narrat, gestis vel interfuit, vel certe proximus fuit. *Anastasius* iam bibliothecarius, quem dicunt, in Joannis papae vita enarranda vestigia eius pressit (cf. in Anastasii vit. pont. Rom. Romae 1718, III. p. 244, Bencini annotationem), atque item *Pagius* (ad a. 526: „— — Quibus verbis *egregiam suam epitomen* stylo barbaro scriptam Anonymus claudit, quam hoc tempore edidisse dubium esse non potest"),

carissima Boëthii uxore,[12] ipsi natos eodem tempore consulatu ornatos videret, Theodorici jussu in vincula coniectus et a. 525 crudelissimo supplicio affectus est.

Clericus, *Chaufepiéus*, *Basnagius*, *Tiraboschius*, *Gibbo*, *Manso*, *Schlosserus*, *Sartorius* (cf. Regierung der Ostgothen in Italien p. 352: „Der ungenannte Geschichtschreiber, den Valesius herausgegeben, — — lebte zu Theoderichs Zeit, oder unmittelbar nachher. Dieser anonymus Valesii, wie er gemeinhin bezeichnet wird, hat zwar einen Stil, der unter aller Critik ist; allein man fühlt, indem man ihn liefet, daß er die Wahrheit sagt, er ist unschätzbar in Bezug auf die Thatsachen, welche er erzählt, es ist nur zu bedauern, daß er so kurz ist)," al. agnoverunt dignissimum eum esse, cui credatur.

12) B. *Rusticianam*, Symmachi filiam, in matrimonium duxisse, *Procopius* testatur (de bello Goth. III. 20 p. 365 ed. Dind. cf. *Boeth.* de cons. phil. II. pr. 3 et 4) Inscriptio autem, quae in *Elpidis*, Siculae cuiusdam, sepulcro Romae primum (cf. *Mongitoris* bibl. Sic. tom. I p. 171; *Fabr.* bibl. lat. l. c. p. 147, *Funckium*, l. c. p. 240 241), deinde Ticini in S. Petri basilica iuxta B. sepulcrum inventa esse fertur (cf. *Tirab.* l. c p. 54 et 55; *Romualdo*, Papia sacra p 99.) Siculis quibusdam scriptoribus (*Gyraldi*, opp. II. p. 298; cf. Tiraboschium l. c.), quos locus ille Procopii prorsus fugit, in causa fuit, ut Elpidem pro B. uxore haberent. Cui sententiae cum insequenti tempore Procopii de B. uxore narratio comparata esset, duas uxores philosophum nostrum habuisse multi scriptores opinati sunt, sustentati quidem loco cons. ph. II, p. 3, in quo de „splendore *socerorum*" Boethii sermo est. Quamvis *Mazzuchellius* (l. c.) sententiae illius veritatem late demonstrandae operam dedisset, *Papebrochius* tamen (act. set. VI, p. 703), *Muratorius* (Geschichte von Italien, übersetzt Leipzig 1746 p. 381—384), *Tiraboschius* (l. c.) eam falsam fictamque esse necessariis evicerunt argumentis. Insuper epitaphium illud cum Tiraboschius Ticini frustra inquirendum curavit, tum recentiorum temporum docti viri, qui regiones eas lustrarunt, ut *Millinus* (Reise durch die Lombardei, nach dem Franz. v. C. L. Ring. 2 Bde. Carlsruhe 1825 p. 27), *La Landius* (voyage en Italie, tome sec. Paris 1786 p. 20 sqq.), *Valerius* (voyages historiques et litteraires en Italie pendant les anneés 1826, 1827, 1828. Bruxelles. 1835 p. 68 et 69), non invenerunt. —

Qui mutatus in Boëthium regis animus causam habuit Boëthii rerum novarum cupiditatem, pristini Romanae reipublicae splendoris memoria, a barbarorum imperio abhorrente, apud multos nobiles Romanos exortam sublevatamque orthodoxae catholicae fidei sectatorum studiis, a Byzantinis sustentatis. Quae cum patriciorum illorum clandestinis conatibus licet non fontem eundem, eundem tamen habuerunt finem, eversionem enim Ostrogothorum imperii, quam patriae nimio amore inflammati Romani cives cupiebant, orthodoxi catholicae fidei sanctitatem inviolabilem tuendi studio permoti. Symmachus socer et Joannes papa paulo post non meliore atque Boëthius usi sunt fortuna.[14] —

Necessitudo, quae ita inter Boëthii ac papae, qui sanguine catholicae ecclesiae doctrinam testatus erat, fortunam intercessit, imprimis id effecisse videtur, ut scriptores catholici effectuum eorundem eandem quoque causam exstitisse opinati, etiam Boëthium fidem catholicam summo studio amplexum esse ad unum omnes contenderent. Quae sententia e honesto, quod *Ennodius*,[15] *Cas-*

[13] *Ipsum* B. *consulem fuisse* e commentario, quem in Aristotelis praed. scripsit, lib. II. p. 143 patet, eum deinde semel tantum eo munere functum esse, fasti consulares probant, nullibi enim Boëthii nomen „cum numerali nota adauctum“ (cf. *Pagium*, l. c. ad a. 510); B. postremo a. 510 consulatu ornatum fuisse Ennodii, qui an. 473 natus jam a. 521 diem obiit supremum, literae ad B. dedicatoriae probant. — Proxime igitur ad veritatem accedit, omittimus enim alia argumenta, Symmachum illum et Boëthium, qui a. 522 consulatu functi sunt, B. filios fuisse, quorum alter patris, alter avi nomine appellatus esset. —

[14] Eiusmodi *necessitudinem inter Boëthium Joannisque papae sortem* intercedere et ratione, qua B. ipse cons. phil. de mortis sui causis loquitur, et Anonymi Valesiani incompta fideique speciem prae se ferente probatur narratione.

[15] *Magni Felicis Ennodii*, episcopi Ticinensis, opera, in ordinem digesta multisque locis aucta, emendata ac notis illustrata, Parisiis. 1611. p. 167, 199, 221, 445.

siodorius,[16] *Isidorus Hispalensis*,[17] viri catholici, de Boëthio fecerunt iudicio, licet ad philosophica tantum eius scripta pertinuerit, atque e magno emolumento, quod Boëthii scripta scholasticis, quos dicunt, praebuerunt, tantum cepit adminiculum, ut ipsum quoque *Boëthium propter studium fidei catholicae adversus regem haereticum vindicandae interfectum* praedicarent, atque etiam *parvulum, quem de trinitate scripsit librum, mortis eius propriam causam* significarent. —

Haec de Boëthii vita sentiendiqne ratione sententia, per *Paulum Diaconum*[18] imprimis inducta, per totam mediam, quam dicunt, aetatem valuit. *Martianus Rota*[19]) deinde, qui de Boëthii vita primus latius commentatus est, omnes priorum seculorum de Boëthio narratiunculas in unum collegit, quas tum etiam novis additamentis ornatas *Tritenhemius*[20]) et *Baronius*[21]) posteris tradiderunt, quorum narrationem *Bertius*,[22]) *Fabricius*,[23]) *Mazzuchellius*[24]) secuti sunt, *Cellierus*[25]) et *Tabaraldus*[26]) al. etiam multis mendatiunculis superadditis adsperserunt.

Ceterum neminem, qui diligentius Boëthii ipsius scripta intuebatur, fugere potuit, inter eorum naturam narrationemque illam de Boëthio per tot secula traditam

16) Var. I. 10, 45; — II. 40; — de artt. ac disciplinis lib. art. p. 555, b. 558, b. 552, b. 538, b. 553, a. —

17) *Isidori Hispalensis* episcopi opp. omnia ed. Faust. Arewallus. Romae 1797 — 1803, tom. III. p. 103, 112, 116, 119.

18) Hist. lib. XV. Hic scriptor primus Boëthium „viri catholici" nomine ornavit.

19) cf. B. vitam *Jul. Martiano Rota* scriptore ante ed. opp. B. Bas., atq. in ed. cons. phil. Lond. p. 31 — 39.

20) Catalogus scriptorum ecclesiasticorum l. c.

21) Ann. eccl. ad an. 526.

22) Cons. phil. ed. Lond. p. 4 — 31.

23) Bibl. lat. Venet. 1728, tom. II. p. 140 sqq.

24) Gli scrittori d'Italia. Brescia 1753 Vol. II. p. 1409—1428.

25) Histoire générale des auteurs sacrés et eccl. Par. 1748. tom XV. p. 555 — 593.

26) Biographie universelle cet.

et auctam magnam esse differentiam. Namque et philosophica Boëthii scripta theologica, quae ei tribuuntur, numero et amplitudine tantopere superant, ut haec illis comparata vix attentione digna videantur, et in philosophicis scriptis ne verbo quidem fidei Christianae diserte ac consulto fit mentio, sed vis, quam in homines illa exercuit, in formis tantum quibusdam cogitandi, quae jam cum ingenio illius aetatis quasi coaluerant, ante oculos posita est — *Schroeckhius* quidem id, quod hac in re mirum videbatur, amoveri putavit, quum diceret, iniquum esse in scripto, in quo nihil pertractandum fuisset, nisi philosophicae res, rationem aliquam ad Christianae doctrinae dogmata quaerere.[27]) Sed — de

[27]) Kirchengeschichte, tom. XVI. p. 118: „Gleichwohl hat der Verfasser nur ein philosophisches Werk versprochen. Es ist sonderbar zu fordern, daß in einem solchen das Eigenthümliche des Christenthums hervorschimmern soll, aber auch etwas unbillig, einen Schriftsteller nicht nach der Absicht beurtheilen zu wollen, die er selbst deutlich als die seinige angegeben hat." — Eodem fere modo iam *Bruno* monachus, qui sec. X. primus in discrimen, quod commemoravimus, incidit, in praeclaro sane, si tempus spectas, commentario de cons. phil. lib. III. met. IX. ab Ang. Maio edito (class. auct. cet. tom. III. Rom. 1831. 332—348) dubitationes ortas e diversa philosophicorum theologicorumque B. scriptorum natura removere conatus est. Talia enim (l. c. p. 333) hoc consilio protulit: »Quisquis illorum versuum intelligentiam indagare cupit, quorum mihi expositionem tua sanctitas, venerande praesul, iniunxit, imprimis admonendus est, non solum in his versibus, sed et in multis locis eiusdem operis, quod consolationis philosophiae titulo praenotatur, quaedam catholicae fidei contraria reperiri; quod ideo mirum est, quia libellum quendam eiusdem auctoris de sancta trinitate valde praeclarum legi et alium contra Eutychem et Nestorium haereticos, quos ab eodem esse conscriptos quisquis aliis eius libris legendis operam impendit, ut ego ab adolescentia feci, ex ipso elegantis styli quodam proprio nitore indubitanter agnoscit. Quod tamen utcunque se habet, *certum est, eum in his libris nihil de doctrina ecclesiastica disputasse, sed tantum philosophorum et maxime Platonicorum dogmata legentibus aperire voluisse.*"

Jam a puero patre orbatus clarissimorum virorum Festi atque Symmachi, patriciorum, curae traditus est, quibus ducibus Romae artes studiaque coluit exactisque studiorum tirociniis, quum mira assiduitate iuvenis virorum scientiam aequaret, ipse praeceptoris provincia functus esse videtur.[6] Ab ineunte iam adolescentia patriciorum

[6]) cf. *Ennod.* paraen. did. p. 445 sq. ep. VII, 13. — Sententia, quam hic protulimus, maxime diversa est ab alia, quam longe plurimi rerum Boëthii scriptores secuti *Boëthium valde juvenem Athenas petiisse* tradiderunt, ibique in liberalium artium studium per longum temporis spatium incubuisse. Attamen haec sententia, quam ipsum altum, quod hac de re Boëthius ipse in scriptis suis tenet, silentium, dubiam reddit, nullo modo firmari potest nisi unico testimonio libelli de disciplina scholarium, quem falso Boëthio tribui neminem fugit; ibi enim haec hac de re leguntur: „Cum parentis mei providentia - - Athenas studii ob causam me misisset, - - annis duobus de viginti Athenis convalui (cf. Boëth. opp. p. 975)." *Baronius,* cui persuasum erat, Boëthium auctorem scripti illius esse, primus sententiam illam divulgavit, quam deinde omnes fere scriptores, etiamsi proprium illius fontem ignorarent atque etiam falsum haberent, secuti sunt, ut *Bertius* in praef. ad B. opp. *Funckius,* de inerti ac decrep. lat. ling. sen. Lemgoviae 1750 p. 226 sqq., *Cellierus,* hist. générale des auteurs sacrés cet. Par. 1748, tom. XV. p. 467—483, quorum inconstantiam iam *Clericus* (bibl. choisie. tom. XVI. p. 195 sq.) iure his verbis reprehendit: „Le livre de disciplina scholarium a fait dire au Cardinal Baronius qu'il (Boëce) avait été dix-huit ans à Athènes pour y étudier; mais ce livre est si impertinent et si barbare, qu'il n'en faut pas beaucoup lire pour voir, qu'il n'est nullement de Boëce. Il semble au contraire que Boëce n'avait jamais été à Athènes, comme on le verra dans la suite — — *Il y a lieu d'être surpris après cela que d'habiles gens aient copié Baronius, sans prendre garde, qu'il ne s'appuyait que sur l'autorité de cet imposteur;*" idem hac de re senserunt *Chaufepieus* nouv. dict. etc. tom. II. p. 355 sqq.; *Tiraboschius,* storia della let. ital. tom. III. p. 46 sqq.; *Handius* l. c. Alii scriptores, ut *Sam. Basnagius* (ann. pol.-eccl. ad a. 524), *Gibbo* (l. c.), *Manso* (Geschichte der Ostgothen Breslau 1824, p. 156, not. e.), qui spurium illum de

dignitate ornatus adscriptusque illustrium senatorum

disc. scholarium librum solum huius sententiae fontem fulcrumque esse bene scientes, eam tamen, ut quae tot seculorum auctoritate sustentata esset, repudiare noluerunt, ad illam firmius probandam loco quodam epistolae, quam Cassiodorus ad Boëthium scripsit, usi sunt, quem hic integrum proferre iuvabit: „Sic enim Atheniensium scholas longe positus (al. positas) introiisti, sic palliatorum choris miscuisti togam, ut Graecorum dogmata doctrinam feceris esse Romanam:“ (cf. *Cass.* var. I. 45). Quae tamen verba, quum Cassiodorius ipse ad eorum interpretationem mox addat: „*Translationibus enim* tuis Pythagoras Musicus, Ptolemaeus Astronomus leguntur Itali cet.“ pro Cassiodorii tumida scribendi ratione sensu improprio intelligenda videntur ita, ut haec significent: „Quamvis longe semper locorum intervallo ab Athenis disiunctus fuisses, translationibus tamen tuis tantam literarum Graecarum probasti scientiam, ut ipsas Athenarum scholas re vere frequentasse videreris.“ Tantum igitur abest, ut locus, quem commemoravimus, sententiae illi probationem afferat, ut eorum iudicio accedendum sit, qui eo usi sunt, ut Boëthium Athenas nunquam attigisse probarent, *Clericum* dico (l. c. p. 204: „Il semble que ces mots *longè positus* marquent assez clairement, qu'il n'avoit jamais été à Athènes; ce qui détruit la fable du Moine, auteur du livre de disciplina scholarium, qui l'y fait étudier dix-huit ans“), *Mazzuchellium* (gli scrittori d'Italia, p. 1411), *Tiraboschium* (l. c. p. 47: „Le quali parole sono state non bene intese da alcuni, ed anche dal Muratori (Ad a. 510), come se indicassero, che Boëzio fosse stato in Atene; mentre Teodorico vuol qui accenare soltanto lo studia della Graeca Filosofia, e perciò dice, che benchè stesse lontaro, pur avea penetrato nel scuole Ateniesi“), *Handium*, (l. c. p. 284). — Qui tamen omnes scriptores quae Cassiodorus ipse ad verba illa illustranda adjunxit omittunt, ita, ut sensus ambiguus maneat atque neutri sententiae probandae locus inservire possit. Igitur quum Boëthium per aliquod tempus Athenis literis vacasse ut firmis probent argumentis scriptores illi frustra operam dent, atque in ipsis philosophi scriptis nihil omnino reperiatur, quod Atheniensium tum temporis philosophorum scholas redoleat, sententia, quam supra protulimus, eo magis probata nobis videtur, quod Festus et Symmachus, clarissimi Boëthii juvenis tutores, praefectura ur-

numero [6,b] primum quadrivio mathematico pertractando operam dedit. [7] E scriptis, quae hoc consilio composuit, duo libri de arithmetica, quinque de musica, duo de geometria reliqui sunt. [8] Logica deinde Graecorum

bis fuucti sunt, cuius erat scholas, quae Romae Theodorici et Cassiodorii opera floruerunt, administrare; cf. *Mansonem* l. c. p. 132 sqq, praecip. not. v.), *Cass.* Var. IV. 6. I, 39 — Solum igitur studium eruditionis, qua Boëthius clarus erat, gloriam augendi Athenas ei literarum sedem, in qua liberales artes addisceret, praescripsisse videtur, id quod eodem modo Joanni Scoto Erigenae contigit, de quo Staudenmeierus his verbis, nostrae quidem sententiae plane congruis, praeclare disseruit: „von jeher hat man versucht, geistige Erscheinungen, die zu groß sind, als daß sie sich aus dee nächsten Umgebung erklären ließen, nach andern Rücksichten und Bestimmungen sich begreiflich zu machen;" cf. Scotus Erigena und die Wissenschaft seiner Zeit, 1 Theil, Frankf. a. M. 1834. p. 145 sq. —

6, b) cf. *Cass.* Var. 40 et 41, quae epistolae non ita multum post an. 496 compositae sunt. *Ennodii* paraen. did. — *Boëthii* cons. phil. lib. I. pros. 3.

7) Quamvis „*quadrivii*" voce in libro de Arithm. p. 988 Boëthius utatur, eorum tamen sententia falsa iudicanda est, qui Boëthium auctorem habuerunt divisionis illius liberalium artium iu septem disciplinas, quarum priores tres, grammaticam dico, dialecticam, rhetoricam, trivii, posteriores quatuor, musica, arithmetica, geometria, astronomia, quadrivii nomine appellabantur. *Marcianus Capella* enim hac iam divisione usus erat, a quo Cassiodorius eam mutuatus est et per totam mediam aetatem introduxit (cf. *Fabricii* bibl. lat. tom. III. p. 138—140, *Bruckeri* hist. crit. phil. tom. III. p. 594 sqq. *Gregorii Tur.* hist. Franc. lib. X., in bibl. Patt. Col. tom. VI. part. II. p. 515). Tantum igitur abest, ut his septem disciplinis Boëthius omnes artes doctrinasque circumscripserit, ut iis propaedeuticum tantum tribuerit usum; neque trivium illud, ut mediae aetatis, quam dicunt homines, quasi exercitationem tantum quadrivii altiores disciplinas antecedentem habuit, sed — ut Cassiodorii verbis utar — „per quadrifarias mathesis ianuas" introeundum in philosophiae sacrum putavit; cf. de Arithm. l. c.

8) Boëthium et de *astronomia* librum composuisse cum eam ob rem verisimile est, quod Boëthio non nisi quadrivio

scripta Romanis tradenda iam adgressus Porphyrii isagogen a Victorino translatam duobus libris interpretatus est, tum in idem opus ab ipso translatum duorum librorum commentarium composuit, et proxime ad veritatem accedit, priorem quoque duorum librorum, quibus Aristotelis praedicamenta transtulit atque interpretatus est, ante a. 510, quo consulatu functus est, compositum esse. Quo opere, dum hac dignitate ornatur, ad finem peracto, in Aristotelis de interpretatione libellum duplicem commentarium, duorum alterum, alterum sex librorum, composuit et Aristotelis priora et posteriora analytica, utraque duobus libris, transtulit et introductionem in syllogismos categoricos librosque duos de syllogismis categoricis, de syllogismis hypotheticis tres scripsit. Translatis tum Aristotelis topicis librorumque octo commentario, qui nunc inter Boëthii scripta non invenitur, [8.b)] exstructis, Ciceronis topica totidem transtulit et explicavit libris, quorum quinque tantum sextique partem superesse maxime sane dolendum est. Duobus deinde de divisione ac definitione librisque quatuor de differentiis topicis compositis publica, quibus philosophus noster distinebatur negotia, ac mors inexpectata impediverunt, quo minus Aristotelis et Platonis concordiam — id, quod

mathematico pertractato de philosophicis disciplinis commentari in animo erat, tum Cassiodorii (Var. I. 45) testimonio confirmatur, qui Ptolemaeum Astronomum aeque atque Archimedem mechanicum translationibus eius Latinis redditos esse narrat; quod quidem testimonium, quum tumido et parum distincto, qui Cassiodorio placuit, sermone expressum sit, haud magni momenti esse libenter equidem concedo. —

8. b) Commemoravit hunc commentarium B. in libro de diff. top. p. 887 his verbis „— quemadmodum rhetoricae facultatis argumenta ducerentur — in his commentariis diligentius expedivimus, qui a nobis in eiusdem Ciceronis topica conscripti sunt. Quo autem modo de his dialecticis rationibus disputetur, *in his commentariis, quos in Aristotelis topica, a nobis translata, conscripsimus*, expeditum est.“

sibi proposuerat — demonstraret.[9] Exceptis igitur parvulis duobus, qui ad metaphysicas quaestiones spectant, „de unitate et uno" et „de bono" libris ac theologicis tribus, quos ab alio compositos esse num recte nonnulli suspicentur, mox exponemus, omnia scripta praeter ea, quae supra commemoravimus, consolationemque philosophiae, in carcere compositam, Boëthio adscripta atque etiam illius nomine circumlata spuria sunt iudicanda.[10]

[9] Cassiodorius quidem inter scriptores a Boëthio in linguam Latinam translatos „*Platonem quoque theologum*" recenset in epistola supra memorata (Var. I. 45), quae quin ante a. 516. scripta sit, dubitari non potest, quum autem etiam „Pythagoras musicus iis adnumeretur, manifestum est, nomina illa nihil significari nisi disciplinas a Boëthio maximo studio cultas, quamvis alia eorum, ut Nicomachi Arithmetici, Geometrici Euclidis, Aristotelis Logici nomina, scriptis re vera a Boëthio compositis respondeant. B. autem omnia Aristotelis scripta transferendi et de Platonis philosophia plura disserendi consilium habuisse, e libello de interpretatione ed. II. lib. II. p. 318 patet, ubi haec hac de re leguntur: »Ego omne Aristotelis opus — — in Latinam redigam formam. His peractis non equidem contempserim Aristotelis Platonisque sententias in unam quodammodo revocare concordiam et in his eos, non ut plerique, dissentire in omnibus, sed in plerisque, quae sunt in philosophia, maxime consentire demonstrem, haec *si vita otiumque supererit*, — — contenderim — —.«

[10] Plures eiusmodi *libros falso Boëthio adscriptos Jo. Tritenhemius* in catalogo script. eccl. (cf. cons. phil. Lond. ed. p. 53 et 54) et *Pet. Bertius* (ib. p. 17 et 18) enumeraverunt. Sed exceptis verbis, quae supra cf. not. [8.b]), unum, quod philosophus ipse de perdito quodam libello, dixit testimonium, in parvulo illo »de bono« commentario invenitur (cf. p. 963), sed ratio, qua illarum hebdomadum, quas dixit, mentionem fecit, domesticis praesertim studiis illas inserviisse, veri simile reddit. — Attamen huic sententiae locus in libello, quam *Sigebertus Gemblacensis* de scriptoribus illustribus composuit, prorsus contrarius esse videtur. Libri enim modo citati cap. 37 scripta B. duo recensentur, quae inter ea, quae B. nomine vulgo circumferuntur, frustra requiruntur, „*de cognatione dialecticae et rhetoricae*" alterum, alterum „*de distinc-*

Boëthius enim, postquam magistri officiorum et fortasse urbi quoque praefecti muneribus functus est [11] contigitque ei, ut duo filios e Rusticiana, Symmachi filia ac

tione rhetoricorum locorum". Quum insuper in Tritenhemii et Bertii scriptorum B. catalogis libellus „de locis rhetoricis" commemoretur, iam nemo non persuasum habuit Boëthium et de hac tertia trivii disciplina librum composuisse, quae sententia manuscripto ab *Angelo Maio* in bibl. Vat. nuperrime invento firmissime probata esse videtur (cf. Classicorum auctorum e vaticanis codd. editorum tom. III. cur. Ang. Maio cet. Romae 1831 p. 315 cet.) — Deprehendit enim vir clarissimus seculi XI. codicem, quem *inedita* duo tam praeclari scriptoris opuscula sibi largitum esse praedicat, „*de rhetorica cognatione*" alterum, alterum „*de locorum rhetoricorum distinctione*". Vocabulum quidem »dialecticae« a Sigeberto vel quovis alio obtrusum cum titulo codicis praeclari tum re ipsa satis probari visum est, quo igitur remoto Maius Sigeberti testimonio ad confirmandam scriptorum illorum integritatem uti non dubitavit. Ac profecto quis omnium dubitet, libellos illos ipsum Boëthium habere auctorem, quum illi nunquam non inter Boëthii scripta lecti sint; nihil enim in iis invenimus nisi truncata duo et passim corrupta fragmenta, quae coniuncta operis, quod „de differentiis topicis" Boethius scripsit, librum quartum integrum fere continent; qui quum opus quasi per se absolutum sit, solus descriptus et pro novo quodam libello habitus esse videtur.

11) Consolatione phil. (II. pr. 3), qua nostro plura officia, quae *magistri officiorum* erant, (cf. Cass. Var. VI. 6. Manso l. c. p. 359 sqq.) tribuuntur, comparata cum Anonymi, quem Valesius edidit, narratione, quae Boëthium magistri officiorum munere functum esse contendit, indubium fere fit, quin noster gravi illa atque honorifica dignitate gavisus sit. *Handius* quidem (l. c.) *Anonymi Valesiani,* quem dicunt, fidem in dubium vocavit, sed sola scribendi ratio rudem, sed fidum (cf. *Schlosseri* Weltgesch. II, 1. p. 11) virum iudicat, qui ipsis rebus, quas narrat, gestis vel interfuit, vel certe proximus fuit. *Anastasius* iam bibliothecarius, quem dicunt, in Joannis papae vita enarranda vestigia eius pressit (cf. in Anastasii vit. pont. Rom. Romae 1718, III. p. 244, Bencini annotationem), atque item *Pagius* (ad a. 526: „— — Quibus verbis *egregiam suam epitomen* stylo barbaro scriptam Anonymus claudit, quam hoc tempore edidisse dubium esse non potest"),

carissima Boëthii uxore,[12] ipsi natos eodem tempore consulatu ornatos videret, Theodorici jussu in vincula coniectus et a. 525 crudelissimo supplicio affectus est.

Clericus, *Chaufepiéus*, *Basnagius*, *Tiraboschius*, *Gibbo*, *Manso*, *Schlosserus*, *Sartorius* (cf. Regierung der Ostgothen in Italien p. 352: „Der ungenannte Geschichtschreiber, den Valesius herausgegeben, — — lebte zu Theoderichs Zeit, oder unmittelbar nachher. Dieser anonymus Valesii, wie er gemeinhin bezeichnet wird, hat zwar einen Stil, der unter aller Critik ist; allein man fühlt, indem man ihn lieset, daß er die Wahrheit sagt, er ist unschätzbar in Bezug auf die Thatsachen, welche er erzählt, es ist nur zu bedauern, daß er so kurz ist)," al. agnoverunt dignissimum eum esse, cui credatur.

12) B. *Rusticianam*, Symmachi filiam, in matrimonium duxisse, *Procopius* testatur (de bello Goth. III. 20 p. 365 ed. Dind. cf. *Boeth.* de cons. phil. II. pr. 3 et 4) Inscriptio autem, quae in *Elpidis*, Siculae cuiusdam, sepulcro Romae primum (cf. *Mongitoris* bibl. Sic. tom. I p. 171; *Fabr.* bibl. lat. l. c. p. 147, *Funckium*, l. c. p. 240 241), deinde Ticini in S. Petri basilica iuxta B. sepulcrum inventa esse fertur (cf. *Tirab.* l. c p. 54 et 55; *Romualdo*, Papia sacra p 99.) Siculis quibusdam scriptoribus (*Gyraldi*, opp. II. p. 298; cf. Tiraboschium l. c.), quos locus ille Procopii prorsus fugit, in causa fuit, ut Elpidem pro B. uxore haberent. Cui sententiae cum insequenti tempore Procopii de B. uxore narratio comparata esset, duas uxores philosophum nostrum habuisse multi scriptores opinati sunt, sustentati quidem loco cons. ph. II, p. 3, in quo de „splendore *socerorum*" Boethii sermo est. Quamvis *Mazzuchellius* (l. c.) sententiae illius veritatem late demonstrandae operam dedisset, *Papebrochius* tamen (act. set. VI, p. 703), *Muratorius* (Geschichte von Italien, übersetzt Leipzig 1746 p. 381 — 384), *Tiraboschius* (l. c.) eam falsam fictamque esse necessariis evicerunt argumentis. Insuper epitaphium illud cum Tiraboschius Ticini frustra inquirendum curavit, tum recentiorum temporum docti viri, qui regiones eas lustrarunt, ut *Millinus* (Reise durch die Lombardei, nach dem Franz. v. E. L. Ring. 2 Bde. Carlsruhe 1825 p. 27), *La Landius* (voyage en Italie, tome sec. Paris 1786 p. 20 sqq.), *Valerius* (voyages historiques et litteraires en Italie pendant les anneés 1826, 1827, 1828. Bruxelles. 1835 p. 68 et 69), non invenerunt. —

Qui mutatus in Boëthium regis animus causam habuit Boëthii rerum novarum cupiditatem, pristini Romanae reipublicae splendoris memoria, a barbarorum imperio abhorrente, apud multos nobiles Romanos exortam sublevatamque orthodoxae catholicae fidei sectatorum studiis, a Byzantinis sustentatis. Quae cum patriciorum illorum clandestinis conatibus licet non fontem eundem, eundem tamen habuerunt finem, eversionem enim Ostrogothorum imperii, quam patriae nimio amore inflammati Romani cives cupiebant, orthodoxi catholicae fidei sanctitatem inviolabilem tuendi studio permoti. Symmachus socer et Joannes papa paulo post non meliore atque Boëthius usi sunt fortuna.[14] —

Necessitudo, quae ita inter Boëthii ac papae, qui sanguine catholicae ecclesiae doctrinam testatus erat, fortunam intercessit, imprimis id effecisse videtur, ut scriptores catholici effectuum eorundem eandem quoque causam exstitisse opinati, etiam Boëthium fidem catholicam summo studio amplexum esse ad unum omnes contenderent. Quae sententia e honesto, quod *Ennodius*,[15] *Cas-*

[13] *Ipsum B. consulem fuisse* e commentario, quem in Aristotelis praed. scripsit, lib. II. p. 143 patet, eum deinde semel tantum eo munere functum esse, fasti consulares probant, nullibi enim Boëthii nomen „cum numerali nota adauctum" (cf. *Pagium,* l. c. ad a. 510); B. postremo a. 510 consulatu ornatum fuisse Ennodii, qui an. 473 natus jam a. 521 diem obiit supremum, literae ad B. dedicatoriae probant. — Proxime igitur ad veritatem accedit, omittimus enim alia argumenta, Symmachum illum et Boëthium, qui a. 522 consulatu functi sunt, B. filios fuisse, quorum alter patris, alter avi nomine appellatus esset. —

[14] Eiusmodi *necessitudinem inter Boëthium Joannisque papae sortem* intercedere et ratione, qua B. ipse cons. phil. de mortis sui causis loquitur, et Anonymi Valesiani incompta fideique speciem prae se ferente probatur narratione.

[15] *Magni Felicis Ennodii,* episcopi Ticinensis, opera, in ordinem digesta multisque locis aucta, emendata ac notis illustrata, Parisiis. 1611. p. 167, 199, 221, 445.

siodorius,[16] *Isidorus Hispalensis*,[17] viri catholici, de Boëthio fecerunt iudicio, licet ad philosophica tantum eius scripta pertinuerit, atque e magno emolumento, quod Boëthii scripta scholasticis, quos dicunt, praebuerunt, tantum cepit adminiculum, ut ipsum quoque *Boëthium propter studium fidei catholicae adversus regem haereticum vindicandae interfectum* praedicarent, atque etiam *parvulum, quem de trinitate scripsit librum, mortis eius propriam causam* significarent. —

Haec de Boëthii vita sentiendiqne ratione sententia, per *Paulum Diaconum*[18] imprimis inducta, per totam mediam, quam dicunt, aetatem valuit. *Martianus Rota*[19]) deinde, qui de Boëthii vita primus latius commentatus est, omnes priorum seculorum de Boëthio narratiunculas in unum collegit, quas tum etiam novis additamentis ornatas *Tritenhemius*[20]) et *Baronius*[21]) posteris tradiderunt, quorum narrationem *Bertius*,[22]) *Fabricius*,[23]) *Mazzuchellius*[24]) secuti sunt, *Cellierus*[25]) et *Tabaraldus*[26]) al. etiam multis mendatiunculis superadditis adsperserunt.

Ceterum neminem, qui diligentius Boëthii ipsius scripta intuebatur, fugere potuit, inter eorum naturam narrationemque illam de Boëthio per tot secula traditam

16) Var. I. 10, 45; — II. 40; — de artt. ac disciplinis lib. art. p. 555, b. 558, b. 552, b. 538, b. 553, a. —

17) *Isidori Hispalensis* episcopi opp. omnia ed. Faust. Arewallus. Romae 1797 — 1803, tom. III. p. 103, 112, 116, 119.

18) Hist. lib. XV. Hic scriptor primus Boëthium „viri catholici" nomine ornavit.

19) cf. B. vitam *Jul. Martiano Rota* scriptore ante ed. opp. B. Bas., atq. in ed. cons. phil. Lond. p. 31 — 39.

20) Catalogus scriptorum ecclesiasticorum l. c.

21) Ann. eccl. ad an. 526.

22) Cons. phil. ed. Lond. p. 4 — 31.

23) Bibl. lat. Venet. 1728, tom. II. p. 140 sqq.

24) Gli scrittori d'Italia. Brescia 1753 Vol. II. p. 1409—1428.

25) Histoire générale des auteurs sacrés et eccl. Par. 1748. tom XV. p. 555 — 593.

26) Biographie universelle cet.

et auctam magnam esse differentiam. Namque et philosophica Boëthii scripta theologica, quae ei tribuuntur, numero et amplitudine tantopere superant, ut haec illis comparata vix attentione digna videantur, et in philosophicis scriptis ne verbo quidem fidei Christianae diserte ac consulto fit mentio, sed vis, quam in homines illa exercuit, in formis tantum quibusdam cogitandi, quae jam cum ingenio illius aetatis quasi coaluerant, ante oculos posita est. — *Schroeckhius* quidem id, quod hac in re mirum videbatur, amoveri putavit, quum diceret, iniquum esse in scripto, in quo nihil pertractandum fuisset, nisi philosophicae res, rationem aliquam ad Christianae doctrinae dogmata quaerere.[27]) Sed — de

[27]) Kirchengeschichte, tom. XVI. p. 118: „Gleichwohl hat der Verfasser nur ein philosophisches Werk versprochen. Es ist sonderbar zu fordern, daß in einem solchen das Eigenthümliche des Christenthums hervorschimmern soll, aber auch etwas unbillig, einen Schriftsteller nicht nach der Absicht beurtheilen zu wollen, die er selbst deutlich als die seinige angegeben hat." — Eodem fere modo iam *Bruno* monachus, qui sec. X. primus in discrimen, quod commemoravimus, incidit, in praeclaro sane, si tempus spectas, commentario de cons. phil. lib. III. met. IX. ab Ang. Maio edito (class. auct. cet. tom. III. Rom. 1831. 332—348) dubitationes ortas e diversa philosophicorum theologicorumque B. scriptorum natura removere conatus est. Talia enim (l. c. p. 333) hoc consilio protulit: »Quisquis illorum versuum intelligentiam indagare cupit, quorum mihi expositionem tua sanctitas, venerande praesul, iniunxit, imprimis admonendus est, non solum in his versibus, sed et in multis locis eiusdem operis, quod consolationis philosophiae titulo praenotatur, quaedam catholicae fidei contraria reperiri; quod ideo mirum est, quia libellum quendam eiusdem auctoris de sancta trinitate valde praeclarum legi et alium contra Eutychem et Nestorium haereticos, quos ab eodem esse conscriptos quisquis aliis eius libris legendis operam impendit, ut ego ab adolescentia feci, ex ipso elegantis styli quodam proprio nitore indubitanter agnoscit. Quod tamen utcunque se habet, *certum est, eum in his libris nihil de doctrina ecclesiastica disputasse, sed tantum philosophorum et maxime Platonicorum dogmata legentibus aperire voluisse.*"

logicis Boëthii scriptis licet haec sententia valeat — nullo tamen modo intelligi potest, qui fieri potuerit, ut Boëthius, si re vera rerum Christianarum tam studiosus fuerit, quam longe plurimi scriptorum opinati sunt, quum in vitae discrimine versaretur, a philosophia, non a religione Christiana consolationem petiiset, scripsissetque illos de consolatione philosophiae libros, quorum solus titulus convicium deo factum orthodoxae fidei catholicae sectatori videri necesse erat. — Cum nemo fuisset, qui dubitaret, quin Boëthius ardentissimus catholicae fidei propugnator fuisset, *Glareanus consolationem philosophiae ab eo compositam in dubitationem vocare* primus ausus est.[28]) *Bertius* deinde iisdem vexatus du-

[28]) In praef. ad B. opp. ed. Bas. haec verba memoria sane digna scripsit: »De duobus tantummodo voluminibus magna dubitatio videtur, nec adhuc plane apud me discussa, quantumvis mecum lucter, omnem moveam lapidem, rationes omnes mecum mutem, vertam, volvam, ignorans, »»quo teneam vultus mutantem Protea nodo,«« ut est apud eundem Flaccum. Nam si opus de duabus Christi servatoris nostri naturis ac item de sanctissima trinitate eius sunt, ut titulus praefert, nec stylus repugnat, qui factum est, ut in opere illo de philosophiae consolatione, quod ultimum eius existimant, cum toties occasio esset, ne semel quidem Christi mentio fiat? Erat in carcere optimus ille vir, dubius de vita. Tyrannus truculentus imminebat, tractabat de divina providentia negotium arduum; ibi de huius seculi malitia, de fortunae instabilitate, de malorum hominum in hoc mundo imperio, per totum opus conquestus et scilicet non erat in his Christus homine tam docto, viro tam honorato ac pio vel semel nominandus? Christus, inquam, omnis patientiae exemplum, longe maiores iniurias ab inimicis passus? Deus, dominus, creator a creatura cruci affixus, non erat ille, inquam, in hoc tam splendido, ut videri volunt, opere nominandus? Ego igitur, ut ingenue fatear, id quod res est — etsi scio, quam magnam mihi moveam hac opinione invidiam et plus quam Camarinam dicendum tamen est, quod animo sedet meo — *mihi quidem magis philosophicum opus videtur, quam Christianum, nec tamen indignum, quod a Christiano homine legatur, sed indignum, ut ab eo scriptum credatur, qui, ipsi Christo dato in*

bitationibus moroso syllabarum aucupio ineptisque consolationis philosophiae locorum quorundam interpretationibus evicisse se putavit, opus illud a Boëthio inexspectata morte impedito non ad finem perductum, sed reliquum fuisse, ut sexto libro de vita aeterna dissereretur, demonstrareturque Christi et apostolorum et prophetarum exemplis, omnibus, qui vitae beatae adipiscendae studerent, maximos labores perferendos esse, quibus victis vera demum consolatione frui possent. [29]) — *Gervasius* postremo philosophiam, cum Boëthio colloquentem, ipsam increatam sapientiam deique supremi filium esse opinatus est, atque ita Christianam fidem, quam literalis sensus nequaquam prodiderat, allegorica interpretatione in opere inesse probavit. [30]) Quae omnes variae sententiae primum habent fontem veterem illam et non dubitatam per tot secula traditam narrationem, quae Boëthium fidei catholicae studiosissimum et scripta, quae eius nomine circumferuntur, theologica studii illius firmissima testimonia praedicavit. —

sacro baptismate nomine, ipsum antescriptis professus" Causam, qua movente priorum temporum scriptores in eiusmodi dubitationes non inciderint, egregie Glareanus sic indicat: „At quid dicemus de tot ante nos doctorum virorum iudicio? Quis unquam ea de re dubitavit? Omnesne caecutierunt? Non aio. Quid tum? *Non cogitarunt,* inquam. Si cogitassent, si indicassent, si discussissent, melius nobis ea aestimare potuissent, sed non venit in mentem, aliis occupatis cogitatibus."

29) Cons. phil. ed. Lond. p. 30: „Neque vero opus ille totum prout instituerat absolvit: habeo enim certissima argumenta, quibus possum evincere, propositum Boëthio fuisse, ex doctrina quoque Christiana ea superioribus addere, quibus ad considerationem aeternae vitae animus attolli possit. Nam primum *non est verisimile, partem istam a Christiano homine, mortem ob oculos habente, fuisse praeteritam; eumque, qui de s. trinitate in carcere scripsit, consolationem in adversis non petiisse ex disciplina Christi cet.*"

30) Haec Schroeckhium secuti commemoravimus, quum ut Gervasii librum (Gervaise vie de Boëce) ipsi nancisceremur, nobis non contigisset.

Propius ad veritatem illi accesserunt, qui — praesumptis opinionibus de Boëthii fidei catholicae ardore non capti — inter libros Boëthii eos, quos de philosophia scripsit, gravissimos habuerunt atque ad eorum rationem provocantes, quae de Boëthii fidei catholicae studio sanguine probato circumferebantur, fabulas falsas et ementitas esse contenderunt. Qui tamen unum vitium vitantes in alterum incidunt. Primus *Arnoldus*,[31]) ardens ille et alacer haereticorum propugnator et pro suo ingenio iis cogitandi rationibus, quae diversa inter se conciliare praecipue sibi proponunt, minime amicus, quum non intelligeret, quomodo idem homo modo totus philosophiae deditus esse, modo fidei Christianae dogmata defendere posset: et de *Christiana Boëthii fide dubitationes inhonestaque iudicia protulit, et scripta, quae ei tribuuntur, theologica ab alio incerto scriptore composita esse* contendit. Hanc sententiam magis confirmatam nuperrime *Handius* protulit, cuius auctoritatem, praecipue ad scripta Boëthii theologica quod attinet, alii[32]) secuti sunt. —

Utramque sententiam, qua discrimen, quod videbatur inter philosophiam Boëthii et theologiam ac praecipue

[31]) cf. Kirchen- und Ketzerhistorie, Schafhausen 1740. tom. I. lib. VI. c. 1, §. 6; et praecipue c. 3, §. 7: „Man sollte auch fast unter die Heiden rechnen den bekannten Severinum Boethium, wofern ihm nicht einige Streitschriften insgemein, wiewol ohne Grund, beigelegt werden, nämlich ein Buch wider Eutychen und Nestorium und eins von der Dreieinigkeit. Denn seine fünf Bücher vom Troste der Philosophie zeigen nichts weniger, als einen Christen an, indem keine periodus darin aus christlichen principiis fleußt, sondern lauter heidnische Trostgründe angeführt werden, die er doch in seinem Gefängniß kurz vor seinem Tod soll geschrieben haben."

[32]) cf. *Ringium* in translatione supra citata itinerum Millini p. 30—45; *Schlosserum* in „Universalhistorische Uebersicht der Geschichte der alten Welt," tom. III. sect. IV. p. 243; *Gieselerum* in „Lehrbuch der Kirchengeschichte," tom. I. p. 655.

inter scripta, quae eius nomine circumferuntur, theologica, tollere conabantur, falsam esse probare jam aggredimur. Alteram enim qui sequebantur, narratione illa de Boëthii Christianae fidei studio pro vera habita, doctrinae catholicae eum ita deditum fuisse putarunt, ut etiam dubitarent, an eiusmodi vir omnino in studia philosophica tanto amore incumbere potuisset, ut etiam in vitae discrimine a philosophia solatium peteret. Philosophicis autem Boëthii scriptis atque imprimis consolatione philosophiae deinde confirmatum est, eum vitae ratione non ita Christianae fidei studium probasse mortisque longe aliam ac religionem causam exstitisse. Quod probe scientes alterius, quam supra protulimus, sententiae propugnatores narrationem de orthodoxa Boëthii fide, quam maximo ardore per totam vitam amplexus morte denique testatus esset, ementitam esse demonstrandi studio eo perducti sunt, ut Boëthium omnino Christianum fuisse negarent, scriptaque illa theologica, quae eius nomine circumferuntur, cum eis, quae in philosophicis scriptis prodidisset, principiis pugnare atque a nescio quo mediae aetatis scriptore composita esse contenderent, nimirum ut sacrarum disciplinarum ab eo cultarum testimonium afferret. Quibus in ceteris quidem assentientes e scriptorum supra laudatorum sententia id tamen assumimus, et Boëthium — id quod ratione philosophicorum scriptorum ac temporis, quo vixit, habita elucet — Christianum fuisse, et libellos tres iam saepenumero nominatos, quibus theologica dogmata tractantur, per tot secula Boëthii nomine circumlatos, ab ipso Boëthio compositos esse. *Putamus igitur et Christianum Boëthium fuisse, talem nimirum, qui a philosophia maximum solatium petierit ac libentius Romanae libertatis, quam doctrinae catholicae studium sanguine testari voluerit, et philosophum eum fuisse, sed talem, qui eiusmodi scripta theologica componere non repudiarit.* Qua sententia probata etiam studiorum Boëthii theologicorum ratio elucebit, quamque vim in aetatis, qua ipse vixit, et insequentis temporis theologiam exercuerit, facile demonstrabitur.

3*

Etiamsi Christianam fidem in eis, quos de philosophiae doctrinis composuit, libellis non aperte et consulto profitetur, vel defendit, verumtamen non invehitur in eam Boëthius, vel inimicum fidei catholicae prodit animum. Quae quum ita sint, non magis est, quod Boëthium a Christiana religione plane alienum fuisse putemus, quam si nostrae aetatis homo, professus quidem fidem Christianam, philosophica tamen studia maxime excolat eaque pro summis animi habeat deliciis, si modo temporis, quo Boëthius vixit, ratio non impedit, quominus eum Christianorum coetui exterioris cultus formis coniunctum fuisse credamus. Quod ut verum sit, tantum abest, ut temporis illius accuratior consideratio, philosophum nostrum exteriori Christianorum societati coniunctum fuisse, veri simillimum reddat.

Namque paganitas,[33]) iam a Constantino Magno eiusque filiis oppressa, quum Juliani favore ac Valentis indulgentia in breve tempus revixisset, Theodosii denique et Gratiani et Valentiniani opera in Oriente prorsus exstirpata, in Occidente vi pactisque maximam partem exstincta est. Barbarorum quidem in imperio Romano devastationes, quibus veteres deos defectionem ab ipsis ulcisci multi crediderunt, obsoletum deorum cultum paululum sustentarunt, atque imprimis Romae et Alexandriae aliisque paganorum urbibus, artibus studiisque claris, Christianorum dogmata despectata sunt, ut nova quaedam stolidae plebeculae superstitio, dum Athenis et in Oriente Proclo aliisque philosophis, eius doctrinae addictis, Christianorum insectationes non nisi maxima cautione edere licet; postremo tamen quinto seculo exeunte contigit, ut etiam in Italiae terra continente omnis paganus cultus opprimeretur. Boëthii igitur temporibus Christiani iam non fiebant, sed nascebantur, quare dubium esse non potest, quin Boëthius quoque iam a pueris Christianorum numero adiunctus sit, atque etiamsi insequenti tempore in philosophiam magis, quam in theo-

[33]) cf. *Gieselerum* l. c. tom. I. p. 565, 566 et 307.

logiam incubuit, tamen *non est, quod eum Christiana sacra plane abiurasse et ne nomen quidem Christiani prae se tulisse putemus.*

Handius deinde libellos illos tres, qui inscribuntur: „*de duabus naturis et una persona Christi adversus Nestorium et Eutychem,*" „*quomodo trinitas est unus deus et non tres dii,*" „*utrum pater ac filius ac spiritus sanctus de divinitate substantialiter praedicentur,*" non ab eo scriptos esse uberrime ac firmissimis argumentis probare conatus ad haec praecipue provocat argumenta: *principia,* quae in iis libris traduntur, ab iis, quae Boëthius secutus sit, maxime diversa, *scribendi deinde, quae in his scriptis appareat, cogitandique rationem,* a philosophicis Boëthii scriptis maxime alienam, *scriptorum denique, qui eorum auctoritatem testentur, ante sec. XII. defectum.* — Horum igitur trium, quae enumeravimus, argumentorum, unumquodque per se separatim tentandum est.

Primum igitur, dum de consensu *principiorum,* quae in theologicis Boëthii scriptis produntur, cum iis, quae in philosophicis inveniuntur, quaestio oritur, haec examinanda esse puto. — Quodsi Boëthium Christianum fuisse contendimus, eius tamen religionis Christianae studium non tam ardens, rerumque theologicarum scientiam non tam egregiam fuisse, quam pluribus priorum praesertim temporum scriptoribus placuit, elucet iam e sola, ut supra demonstravimus, copia philosophicorum scriptorum, in quibus conficiendis totam fere vitam consumsit. Si igitur Boëthii nomine libri nobis traderentur, qui insignem sacrarum literarum scientiam, flagrans dogmatum catholicorum studium atque amorem, saevum in haereticos odium et diras in eos imprecationes et insectationes prae se ferrent, quis — Boëthii dummodo libros philosophicos paulo accuratius contemplatus esset — talia scripta ab eo composita esse putaret? Quae quidem de theologicorum Boëthii scriptorum ratione ii sensisse videntur, qui scripta illa a philosopho Boëthio composita esse, concedere noluerunt. Attamen eorum,

quos memoravimus, trium libellorum, quibus de doctrinis christianis disputatur, haec natura omnino non est, ut qui nihil contineant, nisi nudos quosdam et abruptos doctrinae catholicorum sacrae locos, dialectices tantum Aristotelicae auxilio confirmatos et adversus haereticorum doctrinas minus sibi constantes defensos.[34]) Eiusmodi scripta et a viro, qui philosophiae totum fere se dedidit, componi potuisse, quis negabit, quum et principiis, legibus dico et rationibus, secundum quae totus sentiendi vivendique modus instituitur, in iis omnino locus non sit, et nihil reperiatur, nisi plane logica argumentatio, quae externam tantum decretorum illorum speciem attingit atque in animum agendique rationem ullam vim exercere nullo modo potest. Ac profecto vir acer et acutus in cogitando subtilisque disputator, ea ratione, qua catholica ecclesia decreta sua protulit, maxime delectaretur necesse erat; catholicorum enim dogmata demonstrationis

[34]) Eadem fere de theologicorum, quae nostro adscribuntur, scriptorum natura, quae tamen ipse perlegisse mihi quidem non videtur, natura *Arnoldus* l. c. protulit.— Male igitur *Heineccium* (in opp. ad universam iuris prudentiam, philosophiam et literas humaniores pertinentium tom. II. dissertationes, orationes et programmata exhibente, Genevae 1746. p. 177—228 „de philosophis semichristianis“ p. 221, 222: § XXVII de Boëthio) iudicasse putamus, qui, dum in Arnoldum invehitur, ad scripta illa provocavit iisque nostrum non Semichristianum sed totum fidei catholicae deditum fuisse probare studuit; multo sane rectius *Millinus* de librorum illorum ratione sensit, cuius sententiam his verbis *Ringius* l. c. tradidit: „Millin bemerkt bei diesem Anlaß: eine Abhandlung des Boethius über die Dreieinigkeit und einige andere theologische Abhandlungen desselben möchten zwar vermuthen lassen, daß er die christliche Religion angenommen habe, indessen suchte er in jenen Schriften das religiöse Geheimniß der Dreieinigkeit allein aus der aristotelischen Philosophie zu erklären, wie es auch späterhin die Scholastiker gethan hätten: und dies leite auf die Vermuthung, daß er vielmehr einer jener Philosophen gewesen sein müsse, welche von manchen Gottesgelehrten Halbchristen genannt werden.“ — c. f. *Oelrichs*, comment. de script. ecc. lat. cet. p. Lips. 1791, p. 345.

semper acumine ac subtilitate doctrinarumque constantia praestitisse, nemo non concedit. Omissa igitur quaestione illa de Boëthii scriptorum theologicorum principiis, a philosophi Boëthii diversis, quia in illis principia proprie sic dicta omnino non occurrunt, alias duas ad dubitationem de scriptorum illorum origine tollendam magis valentes proponimus: *„Congruatne tempus, quo Boëthius vixerit, cum dogmatis in libellis illis tractatis, ac potueritne fieri, ut Boëthius philosophus pro vitae suae conditione locorum illorum theologicorum notitiam haberet.“*

Dogmata, quae in tribus, de quibus agitur, libris pertractantur, Boëthii aetate per controversias cum Arii et Nestorii et Pelagii sectatoribus imprimis exculta atque universae tum temporis theologiae quasi summa nota et apud omnes pervulgata erant; *dogmata dico de personae ad substantiam s. naturam ratione*, quae examinantur in libellis, qui „quomodo trinitas est unus deus et non tres dii“ et „utrum pater ac filius ac spiritus sanctus de divinitate substantialiter praedicentur“ inscripti sunt, ac *decreta de duabus naturis, una Christi persona coniunctis*, de quibus in libello „de duabus naturis et una persona Christi“ disputatur, ad quae quidem probanda in hoc scripto loci nonnulli *a doctrina de peccato originali opereque Christi salutari* assumti sunt. — Imprimis quaestio, *utrum Christus ex duabus tantum naturis, an vero ex duabus naturis consistat et in duabus naturis*, quae libro „de duabus naturis cet.“, e theologicis scriptis, quae Boëthio tribuuntur, longe amplissimo gravissimoque, componendo ansam praebuit, tum temporis multarum explicationum ac controversiarum causa exstitit. Operae igitur pretium mihi videtur ac multum valere ad sententiam nostram probandam, si de vi atque historia illius gravis sane argumenti differentiae, paulo copiosius disseramus.

Nemo omnium dubitavit, quin in Christo, filio dei unigenito, patris maiestate ornato, quia intercederet inter deum et homines necesse erat, duplex tamen quasi

elementum discernendum esset, humanum alterum, alterum divinum. Mox Christianae societatis animus, ad altiorem eruditionem magis magisque promotus, adhortatus est, ut utriusque elementi ratio, primum non nisi generatim et universe constituta, accuratius definiretur. Quod si fiebat, aut unitatis Christi, dei filii, aut differentiae, humanorum ac divinorum, quibus hominibus apparebat, actuum ac virtutum praecipue ratio haberi potuit; alterum ii agebant, qui Alexandrinorum sectabantur doctrinam, theologi, alterum Antiochenae disciplinae alumni. Huc et illuc, si, altera de Christo cogitandi ratione sola adhibita, altera autem prorsus neglecta, alteri unitatem quidem statuerunt, differentiam tamen in ea inesse obliviscebantur; alteri hac differentia concessa unitatis confessionem respuebant, fieri non potuit, quin utraque pars, parte, quam habuit, dogmatis pro universo vero dogmate habita, alteram dogmatis partem, sibi oppositam, falsam esse contenderet, discrimenque oriretur, quod per *Cyrillum* et *Nestorium* in apertum certamen erupisse constat.

Discordiam duorum, quos modo laudavi, virorum re vera in verborum tantum, quibus sententiam uterque circumscribere conatus est, falsis interpretationibus positam fuisse, non in ipsarum sententiarum discrimine, clare et distincte mente concepto, e solis Cyrilli atque iis, quae Nestorius ei opposuit, anathematismatis, quae dicunt, tam firme probatur, ut non convelli posse videatur. Cyrillus dei filii, qui inter homines apparuit, unitatem diligenter tuiturus, dum differentiae alicuius in Christo mentio incidit, extimuit, ne unus Christus in duas personas quasi scinderetur,[35]) Nestorius contra, quum redemtorem non nisi ut dei filium laudatum videret, humanas, quae in eo inerant, proprietates prorsus abnegari opinatus est. Alter, unionem physicum confessus, divini et humani, quae bene distinxit, in Christo elementi

[35]) cf. *Walchii* Entwurf einer vollst. Hist. der Ketzereien cet. 5. Theil, Leipzig 1770. p. 703, n. 7.

concordiam realem et substantialem, non rationalem tantum vel moralem esse probare studuit, quamquam ipse in interpretatione, quam primo anathematismati addidit, mutationem et commistionem utriusque naturae diserte abiuravit[36]) ac professus est, „σαρκικῶς γεννηθῆναι" verbis se usum esse eodem sensu, quo „κατὰ σάρκα" dici soleret.[37]) Alter, a divisione Christi in duas personas longe alienus, humanam, quae in Christo inerat, naturam agnosci voluit, quippe quae per Aegyptiorum doctrinam nimio neglecta esse atque etiam in periculo versari videretur. Ambo igitur non contrarias sibi et diversas, sed varias tantum defendebant doctrinas, quibus coniunctis integrum dogma consistit; uterque theologos, quorum fides orthodoxa nunquam in dubium vocata est, sectatores habuit, uterque tales, qui etiam angustiore doctrinae illius exprimendae ratione a dogmatibus ab ecclesia receptis longe aberrabant. Quodsi discordiae huius reconciliandae conatus non nimis turbulenti fuissent, atrocissimo Cyrillo impulsore, datumque esset tempus quietae quaestionis expositioni, quam Nestorius iam paraverat interpretatione illa vocabuli „θεοτόκου," quam Coelestino III. et Joanni Antiocheno miserat, dubium non est, quin ambae partes in gratiam rediissent. Sed quum res non sic se haberent, vis externa momentum faceret necesse fuit; quae cum Cyrilli partium esset, Nestorius condemnatus est, quia Aegyptii doctrinam eius, aliena interpretatione usi, plane sibi contrariam esse opinabantur.

Quum deinde nimius certaminis furor consedisset, fieri non potuit, quin etiam victores aequiore animo causa examinata moderatisque Nestorii amicis monentibus differentiam quandam in Christi unitate inesse concederent, unde factum est, ut sensim Nestorii placita verae fidei catholicae congrua crederentur, atque miserrimus exsul hac tantum de re etiamnum pro haeretico haberi

[36]) ib. et p. 704.
[37]) *Walchius* l. c. — p. 702.

posset, quod perversam illam, quam Cyrillus et Aegyptii de verbis eius protulerant, interpretationem veram esse continenter contenderent. — Cyrillus ipse sensim omnia, quae Antiocheni de Jesu Christo cogitabant, concessit, intellexit enim unitatem, quam ipse defenderat, cum differentia, quam illi contendebant, optime consentire. Non solum igitur professus est, Christum duarum naturarum consociatione existere,[38]) sed etiam eum nobis, quod attinet ad humanam, quae in eo inerat, naturam, quod attinet ad divinam, deo coessentialem esse; naturarum ergo differentiam coniunctione non sublatam esse, sed etiam post adunationem remansisse;[40]) hanc sententiam, si Leontio Byzantino fides habenda est, verbis expressit, quibus eodem Leontio auctore iam Gregorius Nyssenus[41]) in perdito, quem contra Arianos scripsit, libello usus erat, dixit enim: *non solum ex duabus naturis, sed etiam in duabus naturis Christum consistere*[42]).

38) cf. Symbolum a Theodoreto literis mandatum a Cyrillo subscriptum ap. Mans. V. p. 305: „— δύο γὰρ φύσεων ἕνωσις γέγονε".

39) ib. „— ὁμοούσιον τῷ πατρὶ τόν αὐτὸν κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα."

40) cf. Sententias e variis Cyrilli scriptis in unum collectas a Leontio Byz. Mans. VII, p. 825 sq.; comment. in ep. ad Hebr. lib. VI.: „— οὐκ ἀνάχυσίν τινα τὴν εἰς ἄλληλα τῶν φύσεων πεπράχθαι φαμεν· μενούσης δὲ μᾶλλον ἑκατέρας τοῦτο ὅπερ ἐστὶν, ἡνιῶσθαι σαρκὶ νοοῦμεν τὸν λόγον." — Ἐκ τῆς βίβλου τῶν χρήσεων: „καὶ οἱ μὲν μίαν φύσιν ἀναίρεσιν τῆς προςλειφθείσης ἐξ ἡμῶν τοῦ θεοῦ λόγου τελείας ἀνθρωπότητος ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ὅλων ἐδιδάσκουσιν· οἱ δὲ δύο ὑποστάσεις ἤγουν φύσεις, κατὰ διαίρεσιν, καὶ χωρισμὸν ἐκπαιδεύουσιν· ἀλλ' οὐ καθ' ἕνωσιν τὴν κατ' οὐσίαν, ὡς τοῖς ἁγίοις δοκεῖ πάτρασιν, ὡς ἑκατέρους αὐτοὺς τῆς ἀληθείας ἁμαρτάνειν.

41) Mans. VII, p. 829; idem de Greg. Naz. asserit. *Niceph. Call.* l. 18, c. 46. cf. Joh. Dam. opp. ed. Le Quien. I. p. 206, not. 2).

42) Ep. ad Just. ep. Rom.: „οἶδα δὲ καί ἀπαθῆ τὴν τοῦ θεοῦ φύσιν καὶ ἄτρεπτον καὶ ἀναλλοίοτον καὶ τῇ τῆς ἀνθρωπότητος φύσει καὶ ἕνα ἐν ἀμφοῖν τὸν χριστόν;" cf. Leontium de Sever. Ant. ap. Walch. VII, p. 22.

Hac Cyrilli doctrina clarius paulatim atque accuratius expressa, quam progressum ad veritatem et perspicuitatem doctrinae non inconstantiam tantum pravam prae se ferre existimo, universae ecclesiae hac de re decreta per typum quasi adumbrata videmus. Verbum divinum carnem factum esse prima erat ac minime distincta de Christi persona doctrina. Quae personae unitas ne ita teneretur ut omnis differentia evanesceret, ecclesia *Christum e duabus naturis consistere* sancivit. Aegyptiorum rigidissimi ne id quidem pati sibi licere opinati sunt, ut, dum de Jesu Christo agatur, de duabus naturis omnino sermo existeret, ac valde aegre ferebant, quod Cyrillus ab Orientalibus duarum confessionem naturarum suscepisset, quippe qui hac re cum Nestorii erroribus necessitudinem quandam iniisse visus esset[43]). — Tranquillioris autem animi monophysitas, inter eos, qui in dogmatum historia inclaruerunt, *Eutychem* imprimis et *Dioscurum*, non fugit, verba, quibus orthodoxi sententiam suam expresserant, tali quoque interpretationi apta esse, ut etiam iis, qui unam in Christo naturam inesse contenderent, non respuenda ea essent. Primum enim ambarum naturarum coniunctio ita intelligi potuit, ut etiam in Christo in carne apparente ambae salva utriusque proprietate remansisse crederentur, tum autem eam quoque permisit interpretationem, secundum quam duae naturae quasi elementa tantum habentur, e quibus Christus factus est, quorum tamen discrimen unitate Christi in carne apparentis plane evanuit. Quin posterior haec dogmatis interpretatio nihil sit, nisi inanis disputandi ludus, quis est, qui dubitet? Duarum naturarum confessio vim non habuit, nisi ipsum redemtorem re vera inter homines progressum spectabat. Sin tempus *ante* verbi divini incarnationem respexerunt, aut de universalibus tantum divinitatis humanitatisque notionibus, inter quas discrimen interesse nemo unquam negavit, sermo existeret,

[43]) *Liberati* breviarium c. 8: „Culpaverunt Cyrillum (Aegyptii), cur susceperit ab Orientalibus episcopis duarum confessionem naturarum, quod Nestorius dixit et docuit."

aut corpus, quod cum verbo coniungendum erat, iam antea comparatum et Mariae, ut ex ea natum cum aeterno dei verbo societatem iniret, appositum tantum crederetur, necesse erat. Sed usus loquendi atque ars disserendi interpretationi illi contraria non fuit, quare Monophysitae formulam docendi supra memoratam hac explicatione ad suum usum convertere non repudiarunt[44]). Itaque orthodoxae fidei propugnatoribus, ut elementa male sana a societate sua removerent, id, quod sentiebant, accuratius exprimendum erat. Flaviano igitur Constantinopolitano et Leone Romano episcopo Eutychis' erroribus commotis imprimis auctoribus decretum est: dictum illud, ex duabus naturis Christum consistere, nequaquam intelligendum esse, quasi differentiam naturarum Christi incarnatio prorsus sustulisset, sed Christum in carne apparentem et nobis et deo coessentialem esse ideoque cum ante duarum naturarum coniunctionem, tum post eam ex duabus naturis consistere[45]); Christum non solum ex duabus naturis factum esse, sed etiam in eo duas naturas esse confitendas, *et ex duabus et in*

[44]) cf. *Acacii* ep. ad Successum: „Et *ex* duabus naturis *factum fuisse* dicentes, verumtamen post unitionem non dividiamus naturas ab invicem.“ — De *Eutyche* cf. act. conc. Eph. Mans. VI. 744: „Ὁμολογῶ ἐκ δύο φύσεων γεγεννῆσθαι τὸν κύριον ἡμῶν πρὸ τῆς ἑνώσεως, μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν μίαν φύσιν ὁμολογῶ.“ — ib. p. 637: Basilio Selluciae episc. interrogante in syn. Const.: „εἰ λέγει δύο φύσεις ἐν τῷ Χριστῷ“: Eutyches respondit: „ἐκ δύο μὲν φύσεων εἶναι πρὸ τῆς ἑνώσεως, μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν μίαν,“ de *Dioscuro* cf. Mans VI. 690: Quum in Synodo Chalcedonense Longini ep. fidei confessio, quam in syn. Const. fecerat, recitaretur: „— εἰδὼς μετὰ τὴν ἐνανθρώπησιν τὴν ἐκ δύο φύσεων προσκυνεῖσθαι θεότητα τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ θεοῦ,“ Dioscurus professus est: „τὸ ἐκ δύο δέχομαι, τὸ δύο οὐ δέχομαι, et paulo post: „μετὰ τὴν ἕνωσιν δύο φύσεις οὐκ εἰσιν,“ nec tamen (p. 675) dicere dubitavit: „οὔτε σύγχυσιν λέγομεν, οὔτε τομὴν, οὔτε τροπήν· ἀνάθεμα τῷ λέγοντι σύγχυσιν ἢ τροπὴν ἢ ἀνάκρασιν.“

[45]) cf. Leon. ep. ad Flav. c. VI; p. 823 ed. Balleriniorum Venet. 1753.

duabus naturis eum consistere. Quas inter plane idem significantes dicendi formulas, ea, quam postremam protulimus et accuratissime et compressissime significavit discrimen inter orthodoxorum sententiam eamque, quae monophysitis placuit, verbi »*ex*« interpretationem; quare, fortasse iam a Gregorio Nysseno et Cyrillo [46]), certe autem a Flaviano [47]) adhibita, praeter ceteras idonea visa est, ad vocabula „*in*" et „*ex*" cum de Christi persona disputaretur, notas quasi atque indicia orthodoxiae reddenda. Fraudulentae ad catholicorum verba accomodationi iam locus non erat; verbi »ex« confessio, ut quae nimis generatim et universe dogma expressit et interpretationem, qua ante coniunctionem tantum duarum naturarum discrimen statuebatur, permisit, iam non amplius suffecit, sed a quoque, qui orthodoxus haberi voluit, iure postulabatur, ut distinctiore „*in*" accepto etiam post incarnationem duas in Christo naturas confiteretur.

Utrum in symbolo, quod dicunt, Chalcedonico „ἐκ δύο φύσεων", an vero „ἐν δύο φύσεσιν" lectum fuerit, incertum est, quum in codd. utraque lectio inveniatur. Constat tamen Chalcedone, priusquam synodus ad finem adducta esset, docendi formulam recitatam esse, quam quis composuerit latet, omnium episcoporum, exceptis Orientalium nonnullis Romanisque legatis, plausu auditam. [48]) Romanis, ut videtur, auctoribus, formula illa concilii quidem actis non adiuncta est, e magnarum tamen, quas movit, disceptationum descriptione, qua ii, qui formulam illam repudiaverunt, Nestorianorum nomine notantur, patet, cum eam monophysitarum haereseos speciem aliquam prae se tulisse, tum dicta quaedam,

[46]) cf. not. 41 et 42.

[47]) cf. fidei confessionem a Flaviano Theodosio imperatori traditam, Mans. VI. p. 540 sqq.: „ καὶ γὰρ ἐν δύο φύσεσιν ὁμολογοῦντες τὸν χὸν μετὰ τὴν σάρκωσιν τὴν ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου καὶ ἐν ἀνθρώπησιν ἐν μιᾷ ὑποστάσει καὶ ἐν ἑνὶ προσώπῳ ἕνα χὸν, ἕνα υἱὸν, ἕνα κύριον ὁμολογοῦμεν." cf. Walch. VI., p. 538 not. 2. 371 sqq.

[48]) cf. Mans. VII., 97 sqq.; Walch. VI. p. 370 sqq.; p. 448 sqq.

ad veram doctrinam a falsis distinguendam, in Leonis epistola proposita, in ea non solum defuisse, sed etiam sententiam, *ex* duabus naturis Christum consistere, a Dioscuro assumptam, ac decretum illud, quod Cyrillo maxime placuit[49]), unam incarnatam naturam verbi divini in Jesu Christo esse, acceptum fuisse. Leonis legati, quominus formula ista a concilio sanciretur, impediverunt effeceruntque, ut certus episcoporum numerus, e quaque dioecesi electus, ad aliam docendi formulam componendam conveniret. Qui quid egerint, conciliorum acta non narrant, summa tamen quasi eorum, quae disputabant, definitio illa concilii Chalcedonensis de persona Christi nobiscum communicatur,[50]) in qua Leonis decreta, quibus salvam proprietatem utriusque naturae in unam coiisse personam vir egregius constituerat, leguntur. Quorum assumtionem ut Aegyptii paterentur, Romani fortasse iis concesserant, ut vocabula: „ἐκ δύο φύσεων" in symbolo reciperentur. Inanis profecto et parvi pretii concessio, apta tantummodo ad satisfaciendum studio cuidam locutionis, quae iis erat in deliciis, non consilio probe intellecto sententiam re vera propriam tenendi! Leonis enim decretis „ἐκ" illud, magis universe dictum, ad ipsam magis definitam sententiam restricta erat, quae vocabulo „ἐν" brevissime exprimi potuisset, ac dubitatio relicta non erat, quin „ἐν" voluntatem concilii exprimeret, quamvis „ἐκ" literis expressum esset. Unde factum est, ut posteriore harum contentionum tempore, quo ad solum vocabulum „ἐκ" retinendum nihil amplius movebat, vocem „ἐν" accepisse et synodi Chalcedonensis pro-

[49]) cf. *Cyrilli* ep. ad Successum Opp. V. p. 137 et 143. Cyrillus, quod hanc formulam etiam subscripto Antiocheno symbolo supra memorato retinuerit, iniuria a Gieselero vituperari mihi videtur (KG. I. p. 459. Art. b.), quum „μίαν φύσιν σεσαρκωμένην", formulam, obnoxiam licet fraudulentae Monophysitarum interpretationi, vel maxime orthodoxi viri confiteri non dubitassent; cf. Flav. (conf. not. 48): „καὶ μίαν μὲν τοῦ θεοῦ λόγου φύσιν σεσαρκωμένην μέντοι καὶ ἐνανθρωπήσασαν λέγειν οὐκ ἀρνούμεθα."

[50]) Mans. VII. 111 sqq. *Walchii* bibl. symb. vetus p. 104 sqq.

pugnatorem esse plane idem significaret. In omnibus Latinis symboli eius manuscriptis „in duabus naturis" reperitur, unde haec lectio etiam in Graecum textum irrepsisse videtur,[51]) quam iam Severus Antiochenus ibi invenit[53]), Evagrius in narratione de iis, quae Chalcedone agitata sunt et sancita, tradidit[52]).

[51]) cf. *Joh. Damasc.* opp. ed. Le Quien, Par. 1712. p. 206. not. [2]) — *Walch.* VI. 375. not. 2; bibl. symb. vetus p. 106 III. — Euthymius, qui eodem sec. quinto vixit, quae in editis scripta sunt: ἐκ δύο φύσεων cet. ita expressit: „ἐν δύο φύσεσι." *Leont. Byz.* de sect. V. c. 7 ἐν in autographo legi affirmat.

[52]) *Evagrius*, hist. eccl. II. 4. ed. Vales. p. 266.

[53]) De *Severo* cf. Leont. Byz. ap. Mans. VII., 831—840; Walch. VII., 17—26. Ap. Mans. VII., 831 Leontius haec Severi verba tradit: „Δύο τὰς φύσεις ἐν τῷ χῷ νοοῦμεν, τὴν μὲν κτιστὴν, τὴν δὲ ἄκτιστον· ἀλλ᾽ οὐδεὶς ἐγράψατο τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον τὴν ἄλογον ταύτην γραφὴν, τί δήποτε δύο φύσεις ὠνόμασεν περὶ τῆς τοῦ Ἐμμανουὴλ ἑνώσεως διαλαμβάνοντες· οὐδεὶς ταύτην ἔστησε τὴν κατηγορίαν, ἀλλ᾽ ἐκείνην μάλα δικαίως, τί δήποτε μὴ ἀκολουθήσαντες τῷ ἁγίῳ Κυρίλλῳ ἐκ δύο φύσεων ἔφασαν εἶναι τὸν χόν." Severus igitur duarum quidem in Christo naturarum confessionem ipse non repudiavit et synodo nil exprobavit, nisi quod neglecta Cyrilli formula: „ἐκ δύο φύσεων" „ἐν δύο φύσεσι," verba sanxisset. Quam eius sententiam fuisse licet ipsis, quae protulimus, *verbis* probari non possit, quum particula μὴ nunc ad solum participium ἀκολουθήσαντες, nunc ad verbum quoque ἔφασαν relata diversa prorsus loci interpretatio appareat: posteriorem tamen vocabulorum coniunctionem solam rectam esse, ex his manifestum est, quae Severus mox addit: „οὐ παυσόμεθα λέγοντες, ὡς δειξάτω τις τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον - - ὁμολογήσαντας - - - ἐξ ἀμφοῖν ἕνα χὸν - -" Itaque si verba „ἐκ δύο φύσεων" a synodo expressa fuisseut, Severus ei formulae se assensisse profitetur, quod facere dubitavit, quum „ἐν δύο φύσεσιν" in eius definitione legisset, cf. Mans. VII. p. 840: „οὐδὲ οὕτω τοῖς ἐν Χαλκηδόνι συνελθοῦσιν ἀπολογίας τις ὑπελείπετω τόπος, ὁρισαμένοις ἐν δύο φύσεσιν ἀδιαιρέτοις γνωρίζεσθαι τὸν χόν." Walch. VII. p. 21. n. 8. Aliorum scriptorum dicta, quibus „in" a synodo decretum fuisse confirmari videtur, multo minus faciunt ad rem, in dubio enim reliquunt, utrum scriptores illi de

Ita symbolo illo orthoxorum sententia confirmata haeretici non conversi sunt, quinetiam duarum partium discrimine accuratius iam expresso, etiam magis contentionis furor exarsit, dum Romani cum plebe et monachis Constantinopolitanis multisque Orientis episcopis symbolum Chalcedonicum defendunt, repugnant Aegyptii cum reliquis episcopis Orientalibus. Quo in certamine quamquam multae causae a religione longe alienae id moverant, illi vocabula „*ex*“ et „*in*“, hi solum „*ex*“ tesseram quasi prae se tulerunt. Duarum partium concordiam Zeno imperator per formulam illam, quam henoticon dicunt, efficere studuit, sed Romani tam aegre ferebant, quod Constantinopolitani ea probata Aegyptios in communionem ecclesiae receperant, ut Felix III., Romanus episcopus, (a. 486) societatem cum Acacio, patriarcha Constantinopolitano, totoque Oriente dirimeret. Etiamsi discordia postremo saepissime non in rebus ac sententiis, sed in inani disceptatione de verbis posita esset, ac nihil omnino ageretur, nisi quod monophysitis etiamnum naturam appellare placuit idem, quod orthodoxi personae nomine significabant, tempus nimirum post duarum naturarum coniunctionem incarnationemque verbi divini spectantes: contentionis tamen ardor hostilem altercantibus contra se ipsos generat animum, multique monophysitae, qui orthodoxis paulatim omnia fere concesserant, tamen ut vocabulum „*in*“ quippe quod invidiosae partis signum existeret, ab iis acciperent, nullo pacto adduci potuerunt. Duo igitur, quae diximus, verba praecipue in dioecesi Antiochena atrocis belli causa fuerunt, armis magis, quam verbis gesti, quo non tam de sententiis, quem de vitis dimicantium actum erat. Quum Xenaias monophysita contra Flavianum, Antiochiae episcopum acremque concilii Chalcedonensis propugnatorem, diutius feliciter dimicasset;

verbis ipsis formulae Chalc., an vero de sola *sententia* disputaverint, quam ipsi breviter verbis „ἐν δ. φ.“ expressissent.

tandem victoria plane ad Aegyptiorum partem, a Byzantino principe aulicisque sustentatam, pervenire visa est, eo magis, quod Severus, clarissimus ac fortissimus huius partis dux, Antiochiae episcopatum obtinuit. [54]) Attamen ceteri, qui concilii decreta acceperant, Orientis episcopi externa quidem ecclesiae communione cum adversariis coniuncti, quod ab episcopo Romano, clarissimo aeque ac potentissimo suae causae defensore, diremti erant, tam aegre ferebant, ut saepius amicitiae cum Romanis reparandae periculum facerent. Sed quominus eam assequerentur, Romanorum invidia semper impedivit, qui episcopos Constantinopolitanos, cum quibus disceptationibus implicitì fuerant, condemnandos censuerunt, quod ut concederent, Orientales adduci non potuerunt. Justino tandem imperatore, orthodoxis amico Romanorumque votis propenso animo obtemperante reconciliatio est facta, qua vocabulis „*ex*" et „*in*" orthodoxam fidem proprie exprimi sancitum est. Quorum confessionem qui repudiavit, haeretici nomine erat notandus. Itaque diutius disceptationibus iam opus non erat, atque — ad hoc quod attinet — systemate ad finem perducto ecclesiae ad alias doctrinas amplius tractandas accuratiusque definiendas accedere licuit. *Leontius Byzantinus* [55]) contra Severum Antiochenum duobus illis verbis ut rectae fidei notis usus est, itemque *Joannes Damascenus* [56]) in orthodoxae fidei, quam edidit, descriptione ea adhibet.

[54]) cf. Evagr. III. 32 et 33, p. 331—334.

[55]) *Mans.* VII. 833: „— — συνομολογεῖν λέγοντες καὶ τὸ ἐκ δύο μετὰ τοῦ ἐν δύο σὺν ἡμῖν."

[56]) Opp. I., p. 206: „ἡμεῖς γὰρ, συνθέτου φύσεως τὸν Χὸν δογματίζομεν, οὐδὲ ἐξ ἑτέρων ἕτερον, ὥσπερ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος ἄνθρωπον, ἢ ὡς ἐκ τεσσάρων στοιχείων σῶμα, ἀλλ' ἐξ ἑτέρων τὰ αὐτά· ἐκ θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος θεὸν τέλειον, τὸν αὐτὸν, καὶ εἶναι καὶ λέγεσθαι, ἐκ δύο τε, καὶ ἐν δυσὶ φύσεσιν ὁμολογοῦμεν." Cf. contr. Jacobitas, XIV. p. 401: „εἰ γὰρ ἐκ θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος τὸν Χὸν λέγοντες ἐκ δύο φύσεσιν, αὐτὸν ὁμολογεῖτε, καὶ ἴσον παρ' ὑμῖν δύναται τὸ ἐκ θεότητος

Jam scriptum Boëthii de duabus naturis, de quo disputatur, cum brevi hoc de dogmatis progressu commeutario comparandum est. — Scriptor conventui cuidam intererat [57]), in quo literae, ab episcopo certo compositae, recitatae suut, ad differentiam inter duas illas sententias, quarum altera ex duabus naturis Christum consistere affirmavit, altera in duabus naturis eum consistere addidit, latius perpendendam firmiusque constituendam adhortantes. Quae causa licet illi gravis visa sit et dignissima, quae diligentius examinaretur: nullum tamen fuisse dicit, qui illam vel extremis, ut dicunt, digitis attigisset, tantum abfuisse, ut quis subtilius eam quaesivisset; sed omnes clamore ac tumultu latrasse, differentiam illam in medio positam et secundum rationem suam et naturam iam satis esse explicatam. Indignabundum igitur se ipsum conticuisse, cum metuisset, ne iure videretur insanus, si sanus inter furiosos haberi cuperet, neve ignominia notaretur, si homo rudis iudicium suum hac in causa proderet, in qua discernenda etiam doctorum hominum opera irrita fiebat. Attamen quaestionem illam, gravem, ut visa esset, et iucundam, secum meditatum esse, iamque verum ab ipso inventum se credere. — Quae omnia tempus significant, quo cum homines iam assueti erant, discrimen inter Eutychis Nestoriique haereses vocabulis illis definire, quod non ante finem seculi quinti evenit, tum quaestio de utriusque formulae differentia non solum disciplinae subtilius excolendae prodesse, sed etiam in rerum ecclesiasticarum rationem tantam vim exercere potuit, ut, de qua in clericorum conventu disputaretur, digna videretur. Hanc tamen vim, quaestio illa plane amisit cum reconciliatione inter Occidentalem et Orientalem ecclesiam (a. 520) facta vocabula „*ex*“ et „*in*“ ut or-

καὶ ἀνθρωπότητος τῷ ἐκ δύο φύσεσι, πῶς θεότητα καὶ ἀνθρωπότητα τὸν Χὸν λέγοντες καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν, καὶ ἐν θεότητι καὶ ἀνθρωπότητι, οὐ δύο φύσεις αὐτὸν καὶ ἐν δύσιν ὁμολογήσετε φύσεσιν;“

[57]) cf. ed. Bas. p. 948.

thodoxae fidei signa sancita essent. Veri simillimum igitur est, libellum, de quo disputamus, inter finem seculi quinti et an. 520 compositum esse, unde patet, *temporum ratione habita veterem illam sententiam, secundum quam Boëthio scripta illa tribuuntur, sustentari*, id, quod documentis quibusdam ex illo tempore nobis traditis etiam magis confirmatur.

Inter epistolas enim Symmachi papae, quas Mansius nobiscum communicavit, *literae leguntur Orientalium episcoporum* [58]), quibus illi moerore lacerati, quod, innocentes ipsi, Acacii loco excommunicationis a sancta Petri sede poenas darent, valde cupiunt, ut in communione a papa benigne restituantur. Quam ob rem communionis, qua etiamnunc cum Monophysitis uterentur, excusatione allata, ut confirmarent suum fidei catholicae studium, fidei confessionem adiunxerunt, in qua praecipue de ea causa, quae tum maxime movebat animos, duarum dico naturarum in unam personam adunatione, sermo existit, ac differentia orthodoxae et haereticae sententiae verbis „*ex*" et „*in*" soli vocabulo „*ex*" oppositis definitur. Etiamsi hanc epistolam nec pro ea ipsa, quae in conventu illo, cui Boëthius interfuit, recitata est, habeamus, neque iudicemus, concilium hoc non nisi eo consilio convenisse, ut de Orientalium literis disputaretur, quod eo minus probabile fortasse videatur, quum literae, quas commemoravimus, a Symmacho ne responso quidem dignae habitae sint: perducti tamen ratione, qua in illis dogma expressum est, nostri scripti definitionibus tam simili, ut vel iisdem verbis ab utroque scriptore usurpatis [59]) congruentia appareat, quin duorum libel-

[58]) *Mans.* III. 221 —226., *Walch.* VII. p. 1042 sq.

[59]) cf. *Epist. orient. episcop. ad Symm.* Mans. III., 224: „— — inter duas diabolici vias erroris, Eutychis atque Nestorii, tertiam imo mediam nobis ostendas expressius veri rectique dogmatis viam." — „— — sicut inter Arii — — — et Sabellii (sententiam) ostenderunt ss. Patres viam mediam veritatis, — — — sic et vos — — illuminate nos, — — quae est inter sententiam Eutychis — — et

lorum necessitudinem quandam statuamus, nullo modo possumus. Igitur quum epistolam illam Symmacho papa (ab an. 498 — ad an. 514) ac propter gravium orthodoxae partis calamitatum narrationem eo tempore compositam esse necesse sit, quo monophysitae magnis victoriis gaudebant circa a. nimirum 513, quo Severus in sede Antiocheni episcopi collocatus constat: nostrum quoque libellum circa hunc annum compositum esse certum

inter Nestorii vera rectae fidei confessio." — *Boëth. de duab. nat.* p. 948: „— prius extremi sibique contrarii Nestorii atque Eutychis summoveantur errores, post vero adiuvante Deo Christianae medietatem fidei temperabo;" p. 956: „mediaque est haec inter duas haereses via, sicut virtutes quoque medium tenent." *Ep.*: „- ne rursus propter immaculati partus duas naturas et substantias occasionem apprehendentes, qui secundum Nestorium sapiunt, duas personas, aut duos filios, vel duos Christos male introducant. *B.* p. 952: „Nestorius arbitratus, non posse esse naturam duplicem, quin persona fieret duplex, atque ideo cum in Christo naturam duplicem confiteretur, duplicem credidit esse personam." — *Ep.*: „Nos enim o sanctissime et beatissime Symmache, eumdem esse *ex* duabus naturis et *in* duabus naturis, et non sicut illi dicunt, *ex* duabus naturis unam naturam post adunationem, *in* duabus autem subsistentibus naturis cum unitate non pati confiteri," et al. eod. modo. — *Boëth.* p. 956. „— Eutychen confiteri duas quidem in Christo ante adunationem naturas, unam vero post adunationem," p. 955: „Restat ut quemadmodum catholica fides dicat et *in* utrisque naturis Christum et *ex* utrisque consistere doceamus. Ex utrisque naturis aliquid consistere duo significat: unum quidem, cum ita dicimus, aliquid ex duabus naturis iungi, sicut ex melli atque aqua, id autem est, ut ex quolibet modo confusis, vel si una vertatur in alteram, vel si utraeque in se misceantur invicem, nullo modo tamen utraeque permaneant; secundum hunc modum Eutyches ait, ex utrisque naturis Christum consistere. Alter vero modus utrisque consistendi, quod ita ex duabus iunctum est, ut illa tamen, ex quibus iunctum esse dicitur, maneant. — — Talia ergo *ex* aliquibus constantia et *in* his constare dicimus, in quibus consistere praedicantur. — — Cum igitur utrasque manere naturas in Christo fides catholica confiteatur — — — iure dicit, et *in* utrisque naturis Christum et *ex* utrisque consistere.«

est, iamque dubitari non potest, quin tempus, quo scriptum illud de duabus naturis prodiisse demonstravimus, plane congruum sit cum eorum sententia, qui a Boëthio id scriptum esse voluerunt. Errasse igitur mihi videtur doctissimus *Handius* (l. c), qui fieri non potuisse contendit, ut liber is circa a. **512** (an enim quisquam scriptum illud eo ipso anno prodiisse contenderit, equidem nescio) [60]) compositus esset.

Quibus expeditis nova quaestio oritur, *potueritne Boëthius pro vitae suae conditione doctrinarum, quae his scriptis tractantur, notitiam habere.* — Quod fieri potuisse, quamvis Boëthius theologiae studium non admodum amaverit, sed philosophi magis egerit partes, ea sola re manifestum est, quod dogmata illa Christianorum societatem, a quo prorsus alienus esse etiam philosophus Boëthius non potuit, tum imprimis commoverunt et universae theologiae summa quasi erant, firmissime autem probatur, cum viros spectas, quorum societate Boëthius imprimis utebatur.

Boëthius enim clarissimorum nonnullorum illius temporis theologorum cum epistolarum commercio, tum coniunctione consuetudinis gaudebat, *Ennodium* dico Ticinensem episcopum, *Cassiodorium*, *Ioannem* diaconum, Romani pontificis dignitate paulo post ornatum, cui, si inscriptionibus fides habenda est, theologicorum Boëthii scriptorum unum vel alterum dicatum est. Ne *Symmachus* quidem, socer Boëthii, ab illis theologorum disputationibus plane alienus fuisse videtur; fabulae certe piae, non ita multo post Boëthii aetatem natae, dignum eum habuerunt, qui una cum Joanne, fidem catholicam sanguine testato, in insulis Liparicis Theodoricum tyrannum ad loca damnatorum detruderet. [61]) Ceterum cum contentiones illae theologicae

60) cf. Bawr, Hist. d. Päpste, übers. v. Rambach III. p. 205. *Walch*, VIII. 831; VI. 1042 sq.

61) Prima fabulae huius initia iam in *Greg. Tur.* de gloria mart. libro c. 40 invenis; amplius enarratam *Gregorius Magnus* eam tradidit (opp. omnia stud. et lab. mon. ord.

etiam in rempublicam maximam habuissent vim, fieri non potuit, quin animos omnium hominum eruditiorum, qui salutem publicam curabant, ad se converterent, quibus Boëthium quoque adnumerandum esse etiam clarius apparebit, si modo munera spectaveris, quibus functus est, et quorum erat, saepe movere ad clericos audiendos eorumque sententias ac studia tractanda. Quibus omnibus rebus perpensis rationibusque subductis persuasum nobis sit necesse est, fieri non potuisse, quin vir eruditus et literarum peritus aeque ac publicis negotiis occupatus — quamvis amplior et subtilior theologicarum disciplinarum scientia, historiae ecclesiasticae sacrorumque librorum studio comparata, eum fugerit — gravissima illa et maxime generalia dogmata ignoraret; ac vel, cognitionis modo et scientiae amore, quo Boëthius flagrabat, incensus fuerit, toties certo ad doctrinas illas accuratius cognoscendas commotus est, ut mirum esse non posset, si a libro quodam, qui credendi quaedam norma tum habebatur, ampliorem petiisset instructionem atque hoc consilio Augustini opera pervolutasset, quippe quae dogmaticae illius temporis doctrinae quasi fundamento essent, atque, artis dialecticae subtilitate insignia, philosophi animo capiendo imprimis essent idonea. [62])

Quamvis omnes, quas monstravimus, rationes, scripta ea a Boëthio composita esse, probabile reddant, nihil tamen ad hoc firmissime probandum facerent, si forte cogitandi scribendique ratio, quae in eis scriptis apparet, aliena esset ab ea, quae in philosophicis Boëthii scriptis ante oculos posita est; quod num ita se habeat, ut nunc perscrutemur, iam ipsa res poscit. —

Si dogmata, ad quae probanda libri illi tres scripti

St. Bened. a congreg. S. Mauri, Par. 1705, II. p. 417 et 420). —

62) cf. prooem. ad libr. de trin. Boëth. opp. p. 958: »Vobis tamen etiam illud inspiciendum est, an ex beati Augustini scriptis semina rationum aliquos in nos venientia fructus tulerint.“

sunt, uberrima rerum sacrarum doctrina, historiae praesertim ecclesiasticae accurata scientia, subtili scripturae sacrae interpretatione confirmata essent: quis omnino affirmare ausus esset, Boëthium eos libros scripsisse, qui in philosophicis scriptis ne mentionem quidem disciplinarum illarum fecit. Sed ratio illorum librorum prorsus alia est. Etenim scriptor eorum in ipso de duabus naturis commentario hominem laicum se esse profitetur, quum se ipsum ab hominibus discernat, quorum est theologicas disciplinas colere, et quos virorum doctorum nomine ornat, atque admirationem describat, qua catholicorum sententiam, singulas magis Christianae doctrinae partes persequentem: Christum et *ex* duabus naturis consistere et *in* duabus naturis se audivisse tradit [63]). — Theologorum igitur conventui illi non ea re interfuisse videtur, quod disputatio, quae illic mota est, ad sua pertinuisset studia, sed eo fortasse, quod pro muneris, quo functus est, officiis a principe missus erat, ut in clericorum consilio reipublicae iura tueretur. Theologis deinde quaestionem illam accuratiore responso non dignantibus, ipse eam, quam inerti negligentia praetereundam non putavit, secum consideravit, eaque, quae invenit, primo praesenti illi, ad quem epistolam misit, expositurum se fuisse affirmat; quod autem quum fieri non potuisset, iam sententiam suam literis mandatam „ad examinandum prius perpendendumque“ cum eo communicavit atque ardentissime rogat, ut, si vel minuendum aliquid, vel addendum, vel aliqua mutatione variandum sit, is corrigat id ipsique transcribendum remittat. Quis neget ea ipsa differentia, quae inter scriptorem ipsum et theologos illos, doctos nomine, re vera indoctos et male sanos, interfuisse dicitur, verisimile fieri, Boëthium philosophum, qui inter omnes suae aetatis homines doctos ingenii acumine praestiterit, librum illum composuisse?

63) cf. B. opp. p. 948.

Ac profecto cogitandi scribendique ratio, quam libri illi tres produnt, laici est et qui magis philosophicis, quam theologicis studiis deditus erat. Praesertim in brevioribus duobus scriptis, quibus quaestiones: „quomodo trinitas est unus deus et non tres dii," et „utrum pater et filius et spiritus sanctus de divinitate substantialiter praedicentur" — expedire studuit, a theologia scriptor nihil omnino mutuatus est, nisi nudum dogma: „Pater deus, filius deus, spiritus sanctus deus; igitur pater, filius, spiritus sanctus unus deus, non tres dii," eiusque duas explicationes, quarum alteram sic expressit: „Substantia continet unitatem, relatio multiplicat trinitatem," alteram his verbis tradit: „Trinitas quidem in personarum pluralitate consistit, unitas vero in substantiae simplicitate." Ceterum res sola arte dialectica agitur, qua iuvante argumentorum e dogmatis illis petitorum nexu responsum earum quaestionum clarum firmumque invenire conatus est. —

In libro de duabus naturis, ampliore ceteris et ad confirmandam, quam profert, sententiam theologicis doctrinis magis exstructo, paulo uberius quidem ac subtilius theologiae studium apparet, verumtamen etiam in hoc alia dogmata non attigit, atque ea, quae in Leonis et Orientalium episcoporum epistola et in symbolo Chalcedonico leguntur, quae scripta, norma nimirum et regula, quam omnes sequi oportuit, qui in scrutanda Christi natura a fidei orthodoxae via aberrare noluerunt, apud omnes pervulgata erant, ita ut temporum modo locique ratione habita [64]) facile intelligatur, quomodo scriptor, de quo disputatur, qui nusquam non philosophi magis, quam theologi speciem prae se fert, scientiam hanc doctrinarum sacrarum, sibi comparaverit sane uberiorem ea, quae in ceteris duobus scriptis apparet, sed et hanc satis exiguam. Et quae contra Nestorium protulit: necesse

[64]) cf. p. 34.

esse, ut in Christo et vera dei, et vera hominis natura substantialiter coniuncta fuerit; et quibus Eutychis errorem refellere conatus est, qui duarum naturarum ante incarnationem Christi discrimine concesso, post eam duabus naturis negatis, permistionem, vel commistionem duarum naturarum credere videbatur; et quae denique, ad orthodoxorum sententiam confirmandam, de hominibus peccato originali corruptis, de statu triplici propriaque humanae Christi naturae ratione attulit, — omnium in libellis, quos modo nomimavimus, fontem facile invenies. Ne id quidem, quod prophetarum vaticiniorumque veteris testamenti et angelorum in libro illo fit mentio, subtilioris rerum theologicarum scientiae argumentum est, quum et symbolum Chalcedonicum maxime pervulgatum ad prophetarum testimonia provocet [66]), et Boëthius ipse etiam in philosophicis scriptis angelos a paganorum daemonibus probe discernat, [67]) pluraque de eorum natura, iis, quae Augustinus hac de re disputavit, simillima, proferat. — Orationis dominicae preces quaedam sub finem libri de duabus naturis additae, quum et ad rem ipsam nihil omnino faciant, et sermonis nexum prorsus interrumpant, et a ratione, qua alias noster in tractando dogmate usus est, maxime alienae sint, ab alio quodam suppositae esse videntur. Si nuda haec et abrupta sacrae doctrinae decreta exceperis, nihil omnino eruditionis theologicae in scriptis, de quibus disputatur, reperies, imo vero argumentandi ratio, quam in illis invenimus plane diversa est ab ea, qua illius temporis theologi, sententiam sacrae scripturae locis magis, quam dialecticis argumentis, probantes, uti solebant.

66) Mans. VII. p. 116: »— *καθάπερ ἄνωθεν οἱ προφῆται περὶ αὐτοῦ καὶ αὐτὸς ἡμᾶς κύριος Ἰησοῦς Χὸς ἐξεπαίδευσε, καὶ τὸ τῶν πατέρων ἡμῖν παραδέδωκε σύμβολον.*«

67) cf. cons. phil. IV. pr. 6 et interpret. ad h. l. (p. 538 ed. Lond.), ubi »angelicae virtutis« aeque ac „daemonum variae solertiae“ mentio fit. cf. *Cölln.* Dogmengesch. I. p. 29 sqq. *Augustini* enchiridion c. 28.

Boëthius autem arti logicae, paene iam iacenti, sacrorum librorum locis nusquam succurrit; accuratae contra et nimis fere subtiles differentiae, inter variam eorundem vel similium vocabulorum vim statutae; tum discrimen variarum philosophiae disciplinarum rerumque, quae illis pertractantur; quae deinde de natura, de deo, de virtute traduntur; syllogisticae postremo conclusiones, quibus, omnibus primo rationibus, secundum quas certa quaedam res cogitari potest, in medio positis, falsae cogitandi rationes repudiantur, ut incorrupta veritas clare, ac firmiter probata, sola denique supersit — omnia haec virum indicant, qui non ita theologiae totum se dederit, ut philosophiae studium plane repudiasset, sed qui, quum animus dogmatum, dialectica tantum arte defensorum, studio ipse non flagraret, praeter ea scripta theologica etiam philosophicos libros componere potuerit, in quibus religionis Christianae ne verbo quidem fieret mentio.

Quibus paulo laxius expositis iam, exemplum quasi, quod supra dicta illustret, brevem proponamus narrationem rationis, qua noster in differentia inter Nestorii Eutychisque doctrinas expedienda usus est, quam in verbis magis, quam in sententiis positam ideoque logica potius arte, quam theologiae uberiore scientia solvendam probe intellexit. Primum igitur variam vim, qua artis vocabula, in dogmatis illis exprimendis adhibita, intelligi potuerunt, accurate definire studuit, quo facto eam vim, secundum quam vocibus illis in certa quadam doctrina exprimenda uti debeat, edocet. — Quod quomodo factum sit, priusquam pluribus tradimus, e dogmatum historia quaedam petenda sunt de vocabulorum in doctrinis de trinitate Christique persona imprimis adhibitorum vi atque usu; quorum gravissima eademque maxime usitata haec sunt: φύσις, οὐσία, ὑπόστασις, πρόσωπον, quibus — si originem magis, quam usum spectamus — Latinorum *natura*, *essentia*, *substantia*, *persona* respondent. Quum concilia in Graecis urbibus habita credendi do-

cendique normam primum dederint, Graecique patres artem dogmaticam primum excoluerint, Graeca vocabula pro genuinis habenda sunt, a quibus narrationem nostram incipiemus [68]).

De voce „φύσεως“ id solum animadvertendum videtur, quod scriptores ecclesiastici eadem plane sententia atque οὐσίᾳ ea saepius usi sunt, item ac Latinis vox „*naturae*“ idem saepe significavit, atque „*essentia*“ et „*substantia*“ [69]), quae omnia vocabula communi illi, quod singularibus quasi fundamento est, exprimendo inserviunt, quam vocis „οὐσίας“ vim esse, *Athanasius* expressis verbis contendit [70]). —

Quum, si originem solam spectamus, „ὑπόστασις“ plane idem significare possit, priorum temporum, qui inter Africanos Graecosque claruerunt, patres duo illa vocabula ut idem declarantia adhibent [71]). Orientalibus autem theologis omnibusque serioris aetatis orthodoxae fidei sectatoribus inter illa eam placuit sta-

[68]) cf. *Isidori Hisp.* opp. Et. VII., 4 (tom. III. p. 311); de diff. verb. (V. p. 76); de diff. rer. (l. c. p. 114); de ord. creat. (VI. p. 583); *Joh. Damasc.* opp. de dial. c. 30, 40, 41, 42, 43 et praec. not.; *Alcuini* opp. 1. p. 177, ep. CXXII.; — *Ioh. Gerhardi* loc. theol. ed. Cotta III. p. 238—254: de vocibus ecclesiasticis in doctrina de ss. Trinitate usitatis; *Petavii* dogm. theol. II. lib. IV. c. 2. *Coelln*, Dogmengeschichte I. p. 240 sqq.

[69]) *Athanasius* (sec. Cottam l. c.) constituerat: „Natura, essentia, genus, forma unum sunt.“ *Dam.* isag. c. 1: „οὐσία καὶ φύσις καὶ μορφὴ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας ταὐτό ἐστιν.“ Nicet. thes. c. 14 lib. III. — *Augustin.* de trin. II. 18: „— natura, vel substantia, vel essentia.“

[70]) *Athanas.* dial. I.: „ἡ οὐσία τὴν κοινότητα σημαίνει.“

[71]) *Symb. Nic.* ap. *Coelln* l. c.: „ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι;“ *Athan.* ep. ad Afr. §, 4: „ἡ δὲ ὑπόστασις οὐσία ἐστι καὶ οὐδὲν ἄλλο σημαινόμενον ἔχει, ἢ αὐτὸ τὸ ὄν,“ quamvis al. loc. Athan. duas voces bene distinguat, cf. opp. tom. II. p. 85: „τὸ τρίτον τὰ τίμια ζῶα προσφέροντα τὴν δοξολογίαν, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος λέγοντα, τὰς τρεῖς ὑποστάσεις τελείας δεικνῦντά ἐστιν, ὡς καὶ ἐν τῷ λέγειν τὸ κύριος τὴν μίαν οὐσίαν δηλοῦσιν.“ cf. Petav. l. c. p. 184, b. sqq.

tuere differentiam, ut „οὐσία“ genus et id, quod singulis commune est, „ὑπόστασις“ autem ipsum singulare significaret. [72])

Quibus decretis si semper obsecuti essent, disceptationibus diutius locus non erat; quod quum paucissimis placuisset, duo, quae memoravimus verba modo, originem nimirum secuti, eadem plane ratione intellexerunt, modo, loquendi usus ratione habita, diversa significare existimarunt; ita ut in doctrina de trinitate modo pro una οὐσίᾳ unam ὑπόστασιν [73]), modo pro tribus ὑποστάσεσι tres οὐσίας docerent, atque haeretici, quum orthodoxi unam οὐσίαν confiterentur, etiam unius ὑποστάσεως confessionem postularent; nullo modo enim viderunt, quidnam inter vocabula illa discriminis interesset. Qua de re iam a. 273 in synodo Antiochena ὁμοούσιον, secundum illam sententiam a Paulo Samosateno et Sabellio adhibitum, ab orthodoxis repudiatum esse, quis est, qui nesciat?

Haec confusio, quae iam per se ipsa magna fuit et vix explicari posse videbatur, etiam multo magis adaucta est, quum in Latinam linguam magis inopem et notionibus philosophicis exprimendis minus aptam, vocabula illa transferri coepta sunt [74]). — Ad commune quidem illud, quod in singularibus inest, significandum Latini voce „*substantiae*“ utebantur, quae

[72]) *Basilius M.* ep. 236, 6: „οὐσία δὲ καὶ ὑπόστασις ταύτην ἔχει τὴν διαφοράν, ἣν ἔχει τὸ κοινὸν πρὸς τὸ καθ᾽ ἕκαστον, οἷον ὡς ἔχει τὸ ζῶον πρὸς τὸν δεῖνα ἄνθρωπον.“

[73]) In syn. Sard. (347) Ursacio et Valente auctoribus decretum est: „μίαν (ὁμολογοῦμεν) ὑπόστασιν, ἣν οἱ αἱρετικοὶ οὐσίαν προσαγορεύουσι τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος ἁγίου;“ cf. Theodoret. h. e. II. 8; Cotta l. c.

[74]) Scholastici, quos dicunt, theologi, sententiarum ambiguitate exinde orta ad inanem disputationis ludum nectendum abutebantur, cf. Benedictum Cenianensem ap. Baluze, misc. II. p. 94: „— unde apud modernos scholasticos ille syllogismus delusionis, ut dicant, trinitatem sicut personarum, ita esse substantiarum; quatenus si adsenserit illectus auditor, trinitatem esse substantiarum

Graecorum „οὐσίας“ loco posita est, quamobrem Latini unam in deo triuno substantiam, ut Graeci unam οὐσίαν, confitebantur [76]). Ut singularia tamen illa, quibus significandis apud Graecos „ὑπόστασις“ inserviebat, exprimerent, Latini nullum omnino vocabulum habuerunt, „*substantia*“ enim, quae, si originem spectas, idem significavit, secundum artis dogmaticae consuetudinem longe alia intelligebatur vi, qua ut Graecorum οὐσίαν exprimeret iam adhibita erat. Quare quum nonnulli Graeci patres verbum „πρόσωπον“ histrionum personas proprie significans eadem sententia atque ὑπόστασιν accepissent; personarum enim nomen, quae singulis hominibus agendis accomodatae erant, quominus de ipsis singulis naturis ratione praeditis adhiberetur, nihil impedivit: Latini quoque eo perducti sunt, ut in dogmate de trinitate id, quod Graeci per ὑπόστασιν significari voluerunt, „personam“ appellarent [77]), quae vox eandem vim habuit, ac Graecorum πρόσωπον, atque in trinitate unam substantiam et tres personas confiterentur.

dei: trium derogetur cultus deorum; si autem abnuerit, personarum denegator culpetur: *culpetur propter idioma Graecum, denegetur propter sermonem Latinum.*“

76) *Aug.* de trin. l. VII. c. 4: „Loquendi causa, de ineffabilibus ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possumus, dictum est a nostris Graecis: „una essentia, tres substantiae“, h. e. una usia, tres hypostases; *aliter enim Graeci accipiunt substantiam, quam Latini*; a Latinis autem *una essentia, vel substantia, tres personae,* quia non aliter in sermone nostro h. e. Latino essentia quam substantia solet intelligi.“

77) *Aug.*: „— ideo si una essentia trinitatis (Graecorum οὐσίαν ad verbum expressit), una etiam substantia, fortassis igitur commodius dicuntur tres personae, quam tres substantiae.“ *Greg. Naz.* (ed. Jac. Billius Prunaeus etc. Col. Agr. 1690. I. p. 395 sq. oratio XXI. εἰς τὸν μέγαν Ἀθανάσιον ἀρχιεπίσκοπον Ἀλεξανδρεῖον): „τῆς γὰρ μιᾶς οὐσίας καὶ τῶν τριῶν ὑποστάσεων λεγομένων μὲν ὑφ᾽ ἡμῶν εὐσεβῶς· τὸ μὲν γὰρ τὴν φύσιν δηλοῖ τῆς θεότητος, τὸ δὲ τὰς τῶν τριῶν ἰδιότητας, νουμένων δὲ καὶ παρὰ τοῖς Ἰταλοῖς ὁμοίως, ἀλλ᾽ οὐ δυναμένοις διὰ

Hoc igitur modo definitius sane, quam Graeci, Romani doctrinam expresserant; vocabula enim „substantiae“ et „personae“ non tam vario intelligi potuerunt modo, neque igitur alienis interpretationibus tam obnoxia erant, quam Graecorum „οὐσία“ et „ὑπόστασις“. Neglecta autem vocum illarum potestate per ecclesiam sancita, originisque potius ratione habita, Latini intelligere non potuerunt, quidnam esset discrimen inter „οὐσίαν“ et „ὑπόστασιν“ [78]), quum utrumque vocabulum „substantiae“ voce interpretarentur, atque dum de tribus hypostasesi dei triuni sermo existeret, trium deorum confessionem Ariique haeresin suspicati sunt [79]). Graeci contra theologi, quos Latini sermonis consuetudo fugit, Latinorum „substantiam“ eadem vi atque ipsorum „ὑπόστασιν“ intelligentes, non potuerunt, quin Latinos, unam solam dei esse substantiam credentes, Sabellii erroris accusarent. Acerbas contentiones inde exortas iam Athanasius pacare studuit, adhortatus utramque partem, ne eandem sententiam tuentibus sola vocabula in causa essent, ut dira inter se moverent bella, sed, sua quisque dogmatis exprimendi ratione contenti, silentium tenerent [80]). — Nihilominus multi imprimis Latinorum etiamnum studebant, Graecorum placitis ad verba expressis [81]) disceptationes ad finem

στενότητα τῆς παρ' αὐτοῖς γλώττης καὶ ὀνομάτων πενίαν, διελεῖν ἀπὸ τῆς οὐσίας τὴν ὑπόστασιν, καὶ διὰ τοῦτο ἀντεισαγούσης τα πρόσωπα· ἵνα μὴ τρεῖς οὐσίαι παραδέχθωσι, τί γίνεται; — — πίστεως ἔδοξε διαφορα ἡ περὶ τὸν ἦχον μικρολογία· εἶτα Σαβελλισμὸς ἐνταῦθα ἐπενοήθη τοῖς τρισὶ προσώποις καὶ Ἀρειανισμὸς ταῖς τρισὶν ὑποστάσεσι — —“ cf. Boëth. p. 950.

78) *Aug.* de trin V. 8: „— nescio, quid volunt interesse inter usiam et hypostasim.“

79) cf. not. [77]).

80) cf. *Greg. Naz.* l. c.

81) cf. *Aug.* de trin. XII. c. 2: „Sicut ab eo, quod est sapere, vocatur sapientia, sic ab eo, quod est esse, vocatur essentia, *novo quidem nomine*, quo usi non sunt veteres Latini sermonis auctores, sed iam nostris temporibus usitato, ne deesset etiam linguae nostrae, quod Graeci

perducere. Quibus etiam libellorum, de quibus disputatur, auctor adnumerandus est, magis nimirum rei gerendae aptus arte grammatica, quam altiore rerum theologicarum scientia.

Primum „*naturae*“ has quatuor affert definitiones: 1) „Natura est earum rerum, quae, cum sint, quoquo modo intellectu capi possunt“, secundum quam sententiam „naturae“ vox et substantias et accidentia complectitur; 2) „natura est quod facere vel pati possit“, qua vi vox non usurpatur nisi de substantiis, 3) „natura est per se motus principium“, ita ut vocabulum eas tantum substantias, quae corpore praeditae sunt, significet; 4) „natura est unumquamque rem informans specifica differentia“ — Secundum hanc postremam sententiam tam catholicos, quam Nestorium, duas in Christo naturas constituisse, mox noster affirmat. Ad „*personae*“ deinde vocabulum definiendum aggressus, naturae primum laxissimam repetit definitionem, cuius notioni personam subiectam esse oportere dicit. Repudiatis igitur amotisque ex ea omnibus notionibus, quae personae congruere non possunt, hanc tandem huius vocabuli constituit vim: „personam esse naturae rationabilis individuam substantiam“, qua definitione quam ὑπόστασιν Graeci vocant terminari affirmat. [82]) —

„Personae“ vocem, si vim, qua ea utebantur theologi, spectamus, Graecorum „ὑποστάσει“ congruam esse, cum noster docuisset, Latinam linguam quod attinet ad vocabula, quae in doctrina de trinitate adhibebantur, vel adhiberi potuerunt, cum Graeca comparat. Graeca verba, ut res ipsa poposcit, ut genuina et principalia tractantur, secundum quae artis vocabulorum

appellant οὐσίαν, hoc enim verbum e verbo expressum est, ut diceretur „essentia“.

82) De his et sqq. cf. B. p. 948—951; de eo, quod medii aevi scriptores de defin. B. senserint, cf. *Rich. Vict.* de trin. l. IV.; *Laur. Vall.* lib. IV. elegant. c. 34; *Cotta* l. c. p. 252 sq.

apud Latinos usitatorum vel vis iudicatur, vel nova vocabula, quibus antehac hoc consilio non usi erant theologi, e Latina lingua requiruntur. Scriptor libelli, de quo disputatur, origine vocis „personae" propriaque vi, Graecorum προσώπῳ congrua, illustrata, ὑπόστασιν in arte dogmatica magis proprie usurpari dicit, solamque inopiam linguae Latinae, quae „substantiae" voce, Graecorum „ὑποστάσει" revera respondente, iam ad οὐσίαν exprimendam usa esset, causam fuisse, ut „personae" vocabulum improprie ea, quam monstravimus, vi adhibitum esset. — Discrimen inter οὐσίαν et ὑπόστασιν, Latinis, qui utramque vocem „substantiae" vocabulo interpretari solebant, difficile intellectu, „uti Graeca uteretur oratione in rebus, quae a Graecis tractatae Latinorum interpretatione translatae sint", Graecis verbis hoc modo expressit: „αἱ οὐσίαι ἐν μὲν τοῖς καθολικοῖς εἶναι δύνανται, ἐν δὲ τοῖς κατὰ μέρος μόνοις ὑφίστανται", quae in Latinum sermonem ita transtulit: „Essentiae in universalibus quidem esse possunt, in solis vero individuis et particularibus substant." Deinde postquam ad Ciceronem provocans Graecorum linguam locupletiorem, quam Latinam esse praedicavit, loquendi consuetudinem ab ecclesia receptam amplius non curat, sed originem magis spectat et Graecas voces ad literam in linguam Graecam transferre conatus pro „οὐσίᾳ" „essentiam", pro „οὐσιώσει" — „subsistentiam", pro „ὑποστάσει" — „substantiam", pro „προσώπῳ" — „personam" ponit ac secundum hanc verba illa intelligendi rationem, unam trinitatis affirmat esse essentiam, tres substantias, tresque personas.[83]) Quibus propriam uniuscuiusque vocabuli

[83]) Cf. *Aug.* not. 81; *Alcuini* ep. CXXII. opp. I. p. 177. — Boëthium in translatione praedicamentorum Aristotelis (c. 5.) „οὐσίαν" non „essentia", sed „substantia" expressisse, non est, quod mireris. Illic enim, quum, ut eiusmodi ambiguitas nasceretur, timendum non fuisset, substantiae vocabulo secundum eam vim, quam sermonis consuetudo commendaverat, uti ei licuit, secundum quam Graecorum οὐσίᾳ respondit atque ipse theologici,

vim satis illustratam esse, cum putet, quo nomine unumquodque oporteat appellari decernere ecclesiastici sermonis arbitrio concedit, Eutychis autem Nestoriique errores inde ortos affirmat, quod uterque personam et naturam non bene distinxerit, atque alter, unam Christi personam esse probe intelligens, etiam unam tantum confessus sit naturam, alter naturarum discrimine ad dirimendum Christum in personas quoque duas esset perductus. — Attamen vocabulis illis secundum Graecorum verborum originem assumtis non utitur, nisi dum clare ac distincte ei in animo est, Graecas voces Latinis, quas dixi, transferendi consilium, quod si forte oblitus est, nomina illa ea occurrunt vi, quam Latini sermonis consuetudo ecclesiaeque decreta constituerunt.

Quibus omnibus bene reputatis, quis est, quin intelligat, *de scriptore disputari, qui Graeci sermonis artisque grammaticae ac dialecticae magis gnarus fuerit, quam altioris theologiae scientiae*, et qui ad Ciceronis libentius testimonium, quam ad scripturae sanctae provocaverit dicta? Tota praeterea dogmatis illustrandi ratio, distinctionum dico ac definitionum copiam, temporis refert imaginem, quo Latinarum vocum ad Graeca adumbratarum, utrarumque inter se rationis memoria firma adhuc in mentibus haesit, ipsumque dogma non ita erat perfectum, ut prohibitum fuisset, quominus ambarum linguarum comparatione magis illustraretur atque explicaretur. Occidentis mox Orientisque ecclesiis coniunctis (a. 520), doctrinisque, dubitatis antea contentionumque multarum causis, accuratissime et distinctissime absolutis, eiusmodi perscrutationes instituere operis pretium non erat, quas instituere seriorum temporum Romanae ecclesiae theologis, quum Occidentales Graeci sermonis nullam omnino haberent notitiam, ne facultas quidem fuit. Qui insequentis temporis scriptores Latini de vocabulis illis

de quo disputamus, scripti auctor saepius voce „substantia" usus est.

disputarunt, ii quomodo illa ad Graecas voces, eadem sententia usurpatas, sese habeant, omnino non curant. [84])

Singulae deinde sententiarum orationisque conformationes, quae in scriptis illis leguntur, cum philosophicis Boëthii scriptis comparatae, probant veterem sententiam, qua libros illos a Boëthio scriptos esse affirmatur. Differentia illa inter subsistentiam et substantiam, quam in libro de duabus naturis praedixit, mirum in modum congrua est illi, quam inter bonitatem et bonum in cons. phil. l. III. c. 10, inter unitatem et unum interesse in scriptis de trinitate et de arithmetica innumeris locis docuit. Omnibus deinde, quos dixi, libellis sententia communis est, puram primo ac simplicem formam materia deinde obscuratam quasi esse (cf. de trin. p. 958. 959; de discrimine, quod h. l. inter imagines et formas statuitur, cf. de cons. V. 4; de arithm. c. 2; de cons. III. p. 2, m. 9, p. 11, m. 11, p. 12; V. m. 2, p. 2, m. 3). — Orthodoxae fidei, ut mediae inter duas haereses viae, definitio ad virtutis definitionem adumbrata est, quae Aristoteli placuit, qui virtutem medium tenere inter vitia duo sibi opposita contendit. — Ubi de hominibus sermo existit, Catonis, Platonis, Ciceronis exemplum (de trinit. p. 958; in Porph. p. 6; de interpr. p. 232; de duab. nat. p. 950), si de rebus densis, lapidis (de

[84]) Cf. *Alcuini* opp. I. p. 177, ep. CXXII. ad Arnonem: „Sciendum est, quod *essentia* proprie de deo dicitur, qui semper est, quod est, qui Moysi ait: „Ego sum, qui sum. — — *Substantia* vero commune est nomen omnium rerum, quae sunt: coelum, sol, cet. — — Substantia ergo aliquid esse est. Deus igitur substantia est, et summa substantia et prima subsantia, — quoniam rerum creator est. Unde contra venenum Arianae perfidiae solemus dicere, patrem et filium et spiritum sanctum unius esse substantiae. — *Ideo Graeci solent dicere de deo: una usia, tres hypostases, id est una substantia, tres subsistentiae, quod beato Hieronymo non placuit, melius esse dicendum arbitrante Latino eloquio: una substantia, tres personae.*“ Tam breviter doctissimus temporis illius theologus Graecorum formulas repudiat.

duab. nat. 949; cons. ph. III. p. 3; de arithm. c 2), si de motu, ignis et terrae (de duabus nat. p. 949; de trin. p. 958; cons. ph. III. p. 11; IV. m. 6) exempla in philosophicis Boëthii scriptis pariter atque in theologicis illis libellis proponuntur; quae minutissima, ut videri possit, et parvi momenti, gravissima tamen sunt, quum scriptor, qui libros hos ab ipso compositos pro Boëthii operibus haberi voluerit, illa minora certe neglexerit, atque quod peteret se consecuturum esse putaverit, dummodo in praecipuis doctrinis librum suum Boëthii scriptis similem faceret. — Praeterea tres, de quibus agitur, theologici libri, ut exordium uniuscuiusque et finis docet, certis personis adsrcipti sunt, quae qui fuerint, solae inscriptiones in duobus libris de trinitate indicant, in scripto autem de duabus naturis ne hoc quidem testimonium apparet, quod in libro de trinitate Symmachum, in libro, qui inscribitur: „utrum pater, cet. de divinitate substantialiter praedicentur", Joannem, Romanae ecclesiae diaconum, nominat, eundem nimirum, si Hincmaro Rhemensi fides habenda [85]), qui a. 523 papa electus et eodem circiter tempore ac Boëthius Theodorico iubente supplicio affectus est. · Quamvis haec Hincmari sententia non firme probari possit, inscriptionem tamen illam integram esse, ea ipsa, qua nobis tradita est, ratione probari videtur, quippe quae, si falsa esset ac supposita, certo papae celeberrimum nomen humiliori diaconi nomini ad commendandum librum praetulisset. Maxima similitudo exordiorum et finium in scriptis de duabus naturis et de trinitate, cui posteriori libellus de patre cet. de divinitate substantialiter praedicatis quasi appendix quaedam addita est, verisimile reddit, tres libros eidem viro adscriptos esse, quem secundum eam inscrip-

[85]) Opp. tom. I. p. 460: „Et Boëthius in libro ad Joannem, Romanum diaconum postea autem episcopum, quem beatus Gregorius in libro dialogorum persecutione Theoderici regis Ariani martyrio glorificatum fatetur, dicit" cet. Cf. Gregorii Papae opp. omn. II. p. 417. 420.

tionem, quae omnium firmissimis probari potest argumentis, Joannem diaconum fuisse maxime fortasse placeat. Quam sententiam, quod ad librum de trinitate attinet, iuxta aliam, quae Symmacho librum adscriptum esse vult, in commentario, qui Bedae venerabili tribuitur, legimus [86]) item, atque Hincmarus, librum de duabus naturis Joanni adscriptum esse, expressis verbis contendit. [87]) Ceterum et hunc ipsum libros certo cuidam fautori inscribendi morem, et sentiendi disserendique rationem, qua in iis dedicandis scriptor utitur, theologici tres, qui Boëthio adscribuntur, libri cum philosophicis eiusdem viri communem habent. [88]) Postremo in scriptis illis ad exprimendas notiones philosophicas vocabula quaedam usurpari, quae a sermone

[86]) „Ad Johannem Romanae ecclesiae diaconum scribit secuncundum quosdam, *quod universale est*, quod ad eundem scripsit librum de bono; secundum alios scribit ad Symmachum, socerum suum."

[87]) Tom. I. p. 521.

[88]) Cf. *de duab. nat.* p. 958: „Unde mihi maxime subiit admirari, quaenam haec in doctorum hominum esset audacia, qui inscientiae vitium praesumptionis atque imprudentiae nube conentur obducere. Cum non modo saepe id, quod proponatur, inhorreant, verum in huiusmodi contentionibus, ne id quidem, quod ipsi loquantur, intelligant; quasi non deterior fiat inscientiae causa, dum tegitur. Sed ab illis ad te transeo, cui hoc quantulumcumque est examinandum prius perpendendumque transmitto, — si — vel minuendum aliquid, vel addendum, vel aliqua ratione variandum." *De trin.* p. 957 sq. „Quocunque igitur a vobis deieci oculos, partim ignava segnities, partim pallidus livor occurrit, ut contumeliam videar divinis tractatibus irrogare, qui talibus hominum monstris non agnoscenda hic (haec?) potius, quam proculcanda proiecerim;" — cod. l. in fin. „Nunc vestri normam iudicii exspectat subtilitas quaestionis, quae utrum recte diversa sit, an minime, vestra statuat pronunciationis auctoritas"; *Utrum pater cet.* in fin. p. 963: „Haec si recte se ex fide habent, ut me instruas peto." — *De divisione* p. 638 „Nec ullus livor id, quod arduum est natura et ignotum nostris, nobis autem magno et labore et legentium utilitate digestum, obliquis morsibus ob-

antiquiorum, quos classicos dicunt, scriptorum abhorrent, mirum non est, quum et Boëthius in scriptis philosophicis non luculentae orationis lepori, sed incorruptae veritati studeret, neque dubitaret, etiam novis et inauditis ante vocabulis uti [89]), quae, id, quod voluit, dummodo distincte expressissent, num a Cicerone adhibita essent, non curavit. — Fortasse vocabula „impie", quo scriptor Nestorium et „sacrilege", quo Eutychem notat [90]), nimis ardentem fidei orthodoxae propugnatorem indicare videantur; nec tamen praetermittendum est, ea nomina quotidiana consuetudine multum severitatis, quae proprie iis inerat, ommisisse atque,

trectationis obfuscet; dentque potius viam studiis, nunc ignoscendo, nunc etiam comprobando, quam frena bonis artibus stringant, dum quicquid novum est impudenti obstinatione repudiant;" cf. in *Top. Cic.* II. p. 774. VI. p. 841. lib. IV p. 806: „— — nosti oblatrantes morsus invidiae, nosti, quod facillime in difficillimis causis livor ludicrum ferat. Quaeso igitur extremam nostro operi manum, communis negotii studiosus imponas, abundantia reseces, hiantia suppleas, errata reprehendas;" — *de arithm.* p. 987: „Tu solus manum supremo operi imponas, in quo nihil de decernentium necesse est laborare consensu." — — *eod l.*: „Non igitur ambigo, quin pro tua in me benevolentia supervacua reseces, hiantia suppleas, errata reprehendas, commode dicta mira animi alacritate suscipias."

89) *Ad Porph. a Vict. transl.* p. 2: „Tunc interpellavit Fabius miratusque est, quid hoc novi esset, quod unam speculatione partem *intellectibilem* nominassem. Nota, inquam, *quoniam Latino sermone nunquam dictum reperi intellectibilia, egomet mea verbi compositione vocavi;*" — *in Porph. a se transl.* I. p, 46: „Secundus hic arreptae expositionis labor nostrae seriem translationis expediet, in qua quidem vereor, ne subierim fidi interpretis culpam cum verbum verbo expressum comparatumque reddiderim. Cuius incoepti ratio est, quod in his scriptis, in quibus veri cognitio quaeritur, non *luculentae orationis lepos, sed incorrupta veritas exprimenda est;*" de trin. p. 957: „Idcirco stili brevitate contraho et ex intimis sumpta philosophiae disciplinis *novorum verborum significationibus* velo."

90) Cf. de duab. nat. p. 953.

attributa quasi, ab haereticorum nomine non segreganda, semper cum iis coniuncta fuisse. Ceterum noster valde mitem placidumque in haereticos prodit animum, eosque peccatorum tantum in artem logicam commissorum, inconstantiae nimirum et confusionis, accusat. Postremo tota, quae ex his scriptis patet cogitandi scribendique ratio viri est, qui iis, ad quorum artem quaestiones, quas expedire studuit, proprie pertinebant, ingenio se praestare bene quidem sentiens, modestus tamen, ut qui doctorum virorum gregi se adnumerare non possit, nulli sententiam suam obtrudere studet, ac difficillimum est intellectu, qui fieri potuerit, ut his scriptis Boëthium sanguine fidem catholicam testatum esse confirmari putaretur, ac vel ea scripta pro vera mortis viri clarissimi causa haberentur. Cassiodorius in „dementem Arium", „Arianamque pravitatem" [91]) etiam asperioribus, quam illis verbis invehitur, rationibus, propter quas eos condemnat, non ex offensis tantam contra artis logicae praecepta assumtis, ac tamen per dimidiam seculi partem in maxima semper fuit apud Arianos principes gratia.

Jam vero, quae hactenus commemoravimus, partim cursim tantum et quasi in transitu tractata, uberiori enim narrationi hic locus non erat, sufficere existimo ad referendam claram imaginem cogitandi scribendique rationis, quae in scriptis illis reperitur, probandumque, argumenta, quibus nonnulli, ea scripta a Boëthio philosopho nullo modo componi potuisse, confirmare conati sunt, ex ipsorum scriptorum subtiliore notitia minime esse nata. Sed orta esse videtur haec de libellis illis sententia inde, quod non satis perspicue intelligeretur, discrimen aliquod interesse inter eum, qui ecclesiae unum vel alterum decretum sola arte dialectica defendit, atque acrem fidei catholicae propugnatorem, sustentataque falsis et praesumptis opinionibus de libellorum illorum indole ac ratione; quas qui de-

[91]) Cf. praef. ad ps.; tom. II. p. 5; ad ps. 57 v. 9 al.

fendebant, studium orthodoxae fidei, quo mediae aetatis, quam dicunt, fabulae Boëthium flagrasse affirmaverant, etiam in scriptis, quae eius nomine circumferuntur, theologicis apparere, nimis denique gravia esse ea putarunt, quamvis — si cum philosophicis Boëthii libris, quos ut componeret, vir diligentissimus totius fere vitae vires impendit, ea comparaveris — praesente quadam causa adhortante orti ac parvi tantum momenti conatus videbuntur artis dialecticae praecepta ad probanda ecclesiae dogmata adhibendi. Quin etiam tam parvi momenti libelli ei videntur, ut contendere non dubitem: si mediae aetatis nescio quis scriptor Boëthii celeberrimi nomine scripta composuisset, multo ampliores profecto de talibus tantisque rebus tanto viro supposuisset libros. —

Superest igitur hoc solum, ut de tertio, secundum quod scripta illa falsa esse ac suppositia affirmatum est, argumento, *testimoniorum dico ante sec. XII. defectum*, pauca disserantur.

Quae scripta, si externam magnitudinem spectamus exigua, si disserendi rationem a superioribus redeuntia, si vocabula, quibus usus est scriptor, quasi privatis ac suis, difficilia ad intelligendum, ac vel cogitata [92]) brevitate et obscuritate composita, praecipuam aequalium audientiam sibi non fecerunt, quibus quidem ei libri Boëthii, qui ad philosophiam pertinebant, multo maioris pretii fuerunt. Unde factum est, ut scripta a viro, theologi nomine per totam vitam indigno, de theologia conscripta, parum respicerentur, quum praesertim, privatis dedicata, non ab omnibus recepta ac cognita viderentur, neque, prorsus nova disserendi ratione confecta, theologicam doctrinam, sed nihil, nisi dialecticam quandam explicationem placitorum dogmaticorum exhiberent [93]). Quare aequales scriptoris non

92) Cf. not 89 in fin.

93) A Cassiodorio igitur inter Hilarii, Ambrosii, Augustini, Nicetae episcopi scripta, partim ampliora, partim ad intelligendum faciliora, quibus de trinitate disputaverunt

[illegible]

sanctorumque numerum referretur, neque multo post a *Paulo Diacono* [96]) aliisque, qui hunc secuti sunt, pro optimo catholico homine haberetur. Item scripta Boëthii theologica, per se exigua, iam maximi existimata sunt, quoniam hac aetate cum theologia maxime dogmaticis placitis solis continebatur, tum maxime traditioni illi de Boëthii fide sanguine confirmata, lubentissimis animis a Christianis acceptae, scripta illa praesidio esse videbantur. Quodsi hac quidem aetate testimonia integritatis eorum desiderarentur, haud iniuria fortasse de iis suspicaremur. Atqui satis argumentorum habemus, ut a suspicione ea avertamus, et ea quidem non e duodecimo seculo, sed ex eo ipso tempore, quo iure quaeruntur. Namque *Hincmarus*, *Rhemensis* archiepiscopus (882), variis locis [97]) ad omnes, quos commemoravi, libros theologicos Boëthii provocat, ut amplissima in dogmatica doctrina auctoritate dignos, atque ipsi scriptori honorificam appellationem catholici amplissimaque sapientia et eruditione praediti philosophi imponit. Proxime ad Hincmarum accedit *Bruno*, X. sec. monachus Corbeiensis, qui in commentario supra laudato [98]) et scriptum de trinitate et librum contra Eu-

96) Hist. lib. XV. bibl. patr. VIII. p. 260, b; cf. supra not. [16]) — Gravissimum huius periodi testimonium commentarius ille, qui Bedae adscribitur, de Boëthii libro de trinitate afferret, dummodo integritas illius non ita in dubium vocaretur; quod solvere quum hic longum sit, ad commentarii eius testimonium omnino non provocare, mihi quidem visum est. —

97) Opp. I. p. 519 et 474 liber de trinitate, p. 521 lib. de duab. naturis, p. 460 libellus, qui „utrum cet." inscribitur, commemoratur, ex quibus omnibus scriptis multa Hincmarus et ampla descripsit; II. p. 60 in lib. de cavendis vitiis et virtutibus exercendis ad Carol. Calv: „— catholicus et sapientiae ac scientiae plenus philosophus," Boëthius appellatur.

98) cf. supra not. [27]). — Praeter eos, quos dixi, scriptores *Ratbertus*, monachus Sangallensis (a. 793), in libro, quem de varia monasterii Sangallensis fortuna scripsit, inter libros, a Hartmutho, ab an. 772 abbatis dignitate ornato, in communem monachorum usum in bibliotheca collocatos,

tychem ac Nestorium in genuinorum librorum Boëthii numero habet, sententiam suam eo confirmans, quod dicendi rationis in consolatione phil. miram similitudinem cum his libris esse, persuasum sibi habet ex studio illorum legendorum iam ab ineunte adolescentia incepto.

Post hunc *Aimo* monachus († 1008) [99]) philosophum nostrum in praestantissimorum catholicorum numero refert, quippe qui e libro Boëthii de trinitate coniecturam fecerit, aetate minus importuna egregium ecclesiae defensorem eum fuisse; iuxta hunc librum theologicum dialectica et mathematica Boëthii scripta percensentur. Ex eodem fere tempore superest testimonium, quod epistola *Notceri*, abbatis Sangallensis, ad Hugonem II. episcopum Sedunensem, a *Jac. Grimmio* nostra aetate edita,[100]) continet. Is enim in indice librorum, ab ipso ex Latino in Germanicum sermonem versorum, primo loco interpretationem consolationis phil. ac partis libri de trinitate a Boëthio confecti commemorat. Grimmius inter MXV. et MXX. annum epistolam hanc refert. Unde interpretatio illa initio XI. sive potius, quoniam primo percensetur, sub finem X.

etiam duos codices enumerat, alterum Boëthii cons. phil. alterum „alios quinque“ eiusdem scriptoris libellos continentem. Quae quinque librorum mentio, tam leviter et quasi in transitu facta, impedit, quominus libros illos pro amplioribus quibusdam e philosophicis nostri scriptis habeamus, ac verisimile reddit, a Ratberto tres theologicos Boëthii libros et metaphysicos duo commentarios, supra memoratos, significari. cf. *Goldast.* rer. Alem. scriptores quidam vetusti, p. 10; *Pertz.* II. 72.

99) De gestis Franc. lib. II. c. 1: „Qui videlicet Boëthius quam disertus fuerit in literis saecularibus, quamque fuerit catholicus, ex eius comprobatur codicibus;“ commemoratis deinde mathematicis et philosophicis B. scriptis ita Aimo pergit: „Porro eiusdem de sancta trinitate liber liquido ostendit, quam eximius suo, si licuisset, tempore sanctae ecclesiae fuisset colonus;“ cf. *Cochlaei* vit. Theodorici ed. Jo. Peringskiold. Holmiae 1699 p. 271—284.

100) Göttinger gelehrte Anzeigen, 12. Jun. 1835. p. 907—915.

seculi conscripta esse videtur. Illud autem manifestum est, librnm illo tempore pro genuino Boëthii scripto habitum esse. Etiam *Siegebertus Gemblacensis* et *Honorius Augustodunensis*, qui iam XI. sec. inter scriptores ecclesiasticos claruerunt, Boëthium philosophum, cuius dialectica et mathematica scripta percensent, auctorem libri de trinitate agnoscunt.[101]) Omnia haec testimonia ante XII. sec. reperiuntur, omnia libros illos theologicos eidem Boëthio adscribunt, qui consolationem philosophiae ac mathematica et dialectica scripta confecit, atque ab ea aetate ordiuntur, quo iure exspectari possunt. Quodsi prioribus temporibus non inveniuntur, hoc aliter fieri non potuit, atque omnes dubitationes de integritate librorum theologicorum Boëthii, quae inde ortae sunt, quod duodecimo demum seculo eorum mentio facta esset, expulsae mihi videntur.

Primum igitur, ut supra demonstravimus, patet, ratione temporis, quo vixit, habita, eum externae Christianorum societati adiunctum fuisse, praesertim quum nullus in scriptis suis inveniatur locus, quo inimicum contra fidem Christianam prodat animum. Quum autem in amplis eius, quae ad philosophiam pertinent, scriptis ne verbo quidem fidei Christianae fiat mentio, et ipse Boëthius in vitae discrimine non ab illa, sed a philosophia petierit consolationem: facile est intellectu, eum non tam ardente orthodoxae fidei studio flagrasse, quam multi medii praecipue aevi scriptores contendissent. Attamen si alii, eum ne exteriorem quidem Christiani speciem prae se tulisse et scripta, quae eius nomine circumferuntur, theologica nullo modo posse ab eo esse composita, contenderunt, etiam hos falso opinatos esse,

101) cf. *Sigebert.* de vir. illust. c. 37; „nos ecclesiastici laudamus eum, quod librum de s. trinitate scripserit — —“; *Honor.* de illustr. eccl. script. ad a. 524: „Boëthius, patricius, vel consul, scripsit librum de s. trinitate et alium de consolatione et quadrivium de Graeco transtulit, id est arithmeticam, musicam, geometriam, astronomiam; dialecticam explanavit.“

ut supra demonstravimus, et temporis ratione habita probatur, et scriptorum illorum argumento ac cogitandi scribendique modo, qui in iis reperitur. Dogmata enim, quae in iis pertractantur, ea ipsa sunt, quae et tempore, quo Boëthius vixit, et in locis, in quibus versabatur vir egregius, imprimis erant pervulgata, quare, praesertim quum virorum rationem habeas, quorum consuetudine Boëthius usus est, dubitari non potest, quin, quamquam philosophiae maxime erat addictus, etiam eorum notitiam aliquam acceperit. Deinde libri illi viri esse videntur, qui non quasi toto pectore fidem Christianam amplexus sit, sed solo intellectu eam acceperit defenderitque rationibus e philosophia tantum assumtis. Multorum postremo eorumque antiquorum scriptorum testimoniis ea scripta a Boëthio composita agnoscentibus, nihil impedit, quo minus, aeque atque eos, quos de philosophia scripsit, theologicos quoque illos libros pro veris habeamus viri illustris operibus.

Quibus concordiam theologiae Boëthii et philosophiae me demonstrasse quum putarem, iam paucis explicandum mihi est, *quam vim Boëthius in aetatis, qua ipse vixit, praecipue autem in seriorum temporum theologiam habuerit.*

Quam vim, quod ad ipsam aetatem, Boëthii attinet, non ex ipsis eius theologicis scriptis exiisse, ex alto apparet silentio, quod, ut supra demonstravimus, Cassiodorius, Ennodius, Isidorus, alii eius temporis theologi de iis obtinuerunt; philosophicis tamen, quos composuerat, libris, ut toti seculi illius eruditioni provehendae, ita et sacrae doctrinae clarius ac subtilius tractandae multam et utilem praebuit operam. Multo magis autem scriptis eius utebantur mediae aetatis theologi, quare nonnulli Boëthium theologiae, quam dicunt, scholasticae principem et auctorem fuisse opinati sunt. Si voci „scholasticismi“ generalis notio subiicitur, quae quidem significat rationem, qua praecepta Aristoteleae dialecticae artis in certis dogmatis de religione

adhibeantur, non est, quod tum a Dupino dissentiamus, qui Boëthium primum fuisse censuit, qui mysteria Christianae religionis Aristotelis philosophia explicaverit, eamque disserendi rationem ingressus sit, qua postea scholastici tam egregio studio usi fuissent[102]), tum a Tiraboschio, qui Boëthium primum philosophiam scholasticam in theologiam induxisse contenderit.[103]) Atqui iam antea apud Augustinum aliosque initia scholasticae theologiae ea significatione reperiuntur. Sin scholasticismi vocabulo ea Christiana philosophia significatur, quae dialectica ratione necessariam coniunctionem rationis ac revelationis demonstrat, Boëthio prorsus nihil, nisi disputandi modus, secundum artis dialecticae praecepta institutus, cum hoc commune est. Quodsi ei speculativa investigatio religionis asciscitur, factum est hoc aut ab iis, qui de theologicis scriptis eius, quae in externa tantum dialectica versantur, falsum iudicium fecerunt et vim fortuitam sententiarum Christianarum in disputationibus de philosophia cum coniunctione utrarumque consilio facta commutarunt, aut ab iis, qui ei, qui in speculatione de placitis religionis Christianae versatur, exiguam opus esse cognitionem existimant veri illius in historia progressus. Ea ratio, qua Boëthius theologiam cum philosophia coniungit, plane externa est atque omnino aversa a scholasticorum, qua utraque in unum confunduntur. Quorum nemo ipsum theologicorum placitorum argumentum tam intactum illa dia-

102) „Boëce semble estre le premier, qui ait expliqué nos mystères par la philosophie d'Aristote, et qui se soit servi de la methode, que les scholastiques ont embrassé avec tant d'ardeur."

103) l. c. p. 57: „Ed egli fu el primo a render Latina, per cosi dire, la scolastica Filosofia: almeno non abbiamo autor Latino piu antico, che scrivesse di questo argomento. Anzi egli ancora prima d'ogni altro introdusse la Filosofia scolastica ancor nella Teologia, come si vede in alcuni Opuscoli teologici da lui composti, e in quello singolarmente contro Nestorio ed Eutyche."

lectica defensione reliquit, nemo religionis et philosophiae provincias tam accurate distinxit.

Quamquam igitur imitatione scriptorum eius theologicorum theologia scholastica nullum fere fructum e Boëthio cepit, plurimum tamen ille in eius disserendi rationem eo conduxit, quod scripta Aristotelea convertit. Prioribus temporibus ecclesiae Christianorum, quibus summa doctrinae orthodoxia illa, e conciliis profecta, nondum sancita fuit et philosophia etiam multum momenti ad dogmaticam doctrinam habuit, inter philosophos praecipue Plato a theologis magni aestimatus atque adhibitus est,[105]) cuius philosophia et synthetica disputandi ratione, et placitis ipsis, quae omnium rerum causas a deo ducendas praeceperunt, ideoque ad explicanda ea, quae sensibus percipiebantur, quasi dogmata, demonstratione non indigentia, accepta sunt, omnino cum religione quaque ac potissimum Christiana lege multum cognationis habuit, ut non mirum videatur, quod theologi illius aetatis in ea etiam vim τοῦ λόγου, quasi typum futurae religionis Christianae, perspicerent. Analytica autem Aristotelis disserendi ratio, quae nullam explicandi causam praecipere solebat, sed experientiam secuta ducem, a singulis profiscebatur, multo minus ad religionem positivam, quam dicunt, pertinuit; imo adhibenda eius dialectica metaphisicisque eius cogitationibus saepenumero haereticae opiniones ortae sunt.

Cuius rei conditio plane mutata est, quum orthodoxiae placita primaria confecta et absoluta essent, neque quidquam amplius, nisi disputandi rationem perficere restaret. Quem ad finem multo magis Aristotelis dialectica, quam speculativa Platonis philosophia idonea fuit, quam in theologiam inductam confestim argumentum ipsum afficere eiusque rationem mutare necesse erat. Nihil magis ad theologiae scholasticae

106) De amore theologorum erga Platonem et Aristotelem, in tempus mutatum cf. *Jourdain*, recherches critiques sur l'age et l'origine des traductions latines d'Aristote.

finem quadravit, quam logica Aristotelis. Cuius archetypum Graecum quum vix quisquam in Occidente intelligeret, magno emolumento fuit, quod Boëthii interpretatione, ad verbum expressa, puro sermone confecta, illud compensatum est. Atque certo dici potest, neminem virorum doctorum tota aetate media illam superare, vel quidquam, quod eius esset simile, adiungere potuisse. Unde digna fuit, quae summa auctoritate frueretur, etiamsi non sola conversio scriptorum Aristoteleorum fuisset, quae in Occidente omnino ante XII. sec. cognita esset.[107]) Physicis contra ac metaphysicis Stagiritae libris facile carere potuerunt; quin etiam factum est, ut prima parte XII. seculi studium eorum, interpretationibus et ex Graeco, et ex Arabico sermone in Latinum conscriptis adiutum, magna vi, quam in artem dogmaticam formandam habuit, orthodoxiae magis damno, quam utilitati fuerit.[108]) Itaque solus Boëthius certaminibus illis dialecticis arma praebuit, quare media aetate tantam auctoritatem consecutus est, et eam quidem scriptis a quoque theologico consilio remotis, ut scholastici praedicando eorum auctore in commentariis de illius libris inter se certarent.[109]) Atqui etiam

[107]) cf. *Iourdain* l. c. praecipue p. 225 – 236, ubi summam quasi eorum, quae accurata aeque atque operosa perscrutatione invenit, tradidit. —

[108]) Aristotelis libri de metaphysica in conc. Par. an. 1209 damnati sunt; cf. *Launoius* l. c. p. 127 sqq.; *Jourdain* p. 204 sqq. 218. —

[109]) Vel ipsi Aristoteli atque etiam divino Platoni Boëthius a scholasticorum nonnullis praelatus esse videtur, cf. e. g. in *Pezii* thes. anecd. t. III, p. II, p. 144, 146, Othonis dialogum de tribus quaestionibus: „Nam dialecticos quosdam ita simplices inveni, ut omnia s. scripturae dicta iuxta dialecticae auctoritatem constringenda esse decernerent, magisque Boëtio, quam sanctis scriptoribus in plurimis dictis crederent. — — Maior mihi cura est, legendo vel scribendo sequi sanctorum dicta, quam Platonis, vel Aristotelis ipsiusque etiam Boëtii dogmata.“ — Scholasticorum de nostro testimonia vide ap. *Iourdain* p. 24—25.

tionem, quae omnium firmissimis probari potest argumentis, Joannem diaconum fuisse maxime fortasse placeat. Quam sententiam, quod ad librum de trinitate attinet, iuxta aliam, quae Symmacho librum adscriptum esse vult, in commentario, qui Bedae venerabili tribuitur, legimus [86]) item, atque Hincmarus, librum de duabus naturis Joanni adscriptum esse, expressis verbis contendit. [87]) Ceterum et hunc ipsum libros certo cuidam fautori inscribendi morem, et sentiendi disserendique rationem, qua in iis dedicandis scriptor utitur, theologici tres, qui Boëthio adscribuntur, libri cum philosophicis eiusdem viri communem habent. [88]) Postremo in scriptis illis ad exprimendas notiones philosophicas vocabula quaedam usurpari, quae a sermone

86) „Ad Johannem Romanae ecclesiae diaconum scribit secundum quosdam, *quod universale est*, quod ad eundem scripsit librum de bono; secundum alios scribit ad Symmachum, socerum suum."

87) Tom. I. p. 521.

88) Cf. *de duab. nat.* p. 958: „Unde mihi maxime subiit admirari, quaenam haec in doctorum hominum esset audacia, qui inscientiae vitium praesumptionis atque imprudentiae nube conentur obducere. Cum non modo saepe id, quod proponatur, inhorreant, verum in huiusmodi contentionibus, ne id quidem, quod ipsi loquantur, intelligant; quasi non deterior fiat inscientiae causa, dum tegitur. Sed ab illis ad te transeo, cui hoc quantulumcumque est examinandum prius perpendendumque transmitto, — si — vel minuendum aliquid, vel addendum, vel aliqua ratione variandum." *De trin.* p. 957 sq. „Quocunque igitur a vobis deieci oculos, partim ignava segnities, partim pallidus livor occurrit, ut contumeliam videar divinis tractatibus irrogare, qui talibus hominum monstris non agnoscenda hic (haec?) potius, quam proculcanda proiecerim;" — eod. l. in fin. „Nunc vestri normam iudicii exspectat subtilitas quaestionis, quae utrum recte diversa sit, an minime, vestra statuat pronunciationis auctoritas"; *Utrum pater cet.* in fin. p. 963: „Haec si recte se ex fide habent, ut me instruas peto." — *De divisione* p. 638 „Nec ullus livor id, quod ardunm est natura et ignotum nostris, nobis autem magno et labore et legentium utilitate digestum, obliquis morsibus ob-

antiquiorum, quos classicos dicunt, scriptorum abhorrent, mirum non est, quum et Boëthius in scriptis philosophicis non luculentae orationis lepori, sed incorruptae veritati studeret, neque dubitaret, etiam novis et inauditis ante vocabulis uti [89]), quae, id, quod voluit, dummodo distincte expressissent, num a Cicerone adhibita essent, non curavit. — Fortasse vocabula „impie“, quo scriptor Nestorium et „sacrilege“, quo Eutychem notat [90]), nimis ardentem fidei orthodoxae propugnatorem indicare videantur; nec tamen praetermittendum est, ea nomina quotidiana consuetudine multum severitatis, quae proprie iis inerat, ommisisse atque,

trectationis obfuscet; deutque potius viam studiis, nunc ignoscendo, nunc etiam comprobando, quam frena bonis artibus stringant, dum quicquid novum est impudenti obstinatione repudiant;“ cf. in *Top. Cic.* II. p. 774. VI. p. 841. lib. IV p. 806: „— — nosti oblatrantes morsus invidiae, nosti, quod facillime in difficillimis causis livor Iudicrum ferat. Quaeso igitur extremam nostro operi manum, communis negotii studiosus imponas, abundantia reseces, hiantia suppleas, errata reprehendas;“ — *de arithm.* p. 987: „Tu solus manum supremo operi imponas, in quo nihil de decernentium necesse est laborare consensu.“ — — *eod l.*: „Non igitur ambigo, quin pro tua in me benevolentia supervacua reseces, hiantia suppleas, errata reprehendas, commode dicta mira animi alacritate suscipias.“

89) *Ad Porph. a Vict. transl.* p. 2: „Tunc interpellavit Fabius miratusque est, quid hoc novi esset, quod unam speculatione partem *intellectibilem* nominassem. Nota, inquam, *quoniam Latino sermone nunquam dictum reperi intellectibilia, egomet mea verbi compositione vocavi;*“ — *in Porph. a se transl.* I. p. 46: „Secundus hic arreptae expositionis labor nostrae seriem translationis expediet, in qua quidem vereor, ne subierim fidi interpretis culpam cum verbum verbo expressum comparatumque reddiderim. Cuius incoepti ratio est, quod in his scriptis, in quibus veri cognitio quaeritur, non *luculentae orationis lepos, sed incorrupta veritas exprimenda est;*“ de trin. p. 957: „Idcirco stili brevitate contraho et ex intimis sumpta philosophiae disciplinis *novorum verborum significationibus* velo.“

90) Cf. de duab. nat. p. 953.

attributa quasi, ab haereticorum nomine non segreganda, semper cum iis coniuncta fuisse. Ceterum noster valde mitem placidumque in haereticos prodit animum, eosque peccatorum tantum in artem logicam commissorum, inconstantiae nimirum et confusionis, accusat. Postremo tota, quae ex his scriptis patet cogitandi scribendique ratio viri est, qui iis, ad quorum artem quaestiones, quas expedire studuit, proprie pertinebant, ingenio se praestare bene quidem sentiens, modestus tamen, ut qui doctorum virorum gregi se adnumerare non possit, nulli sententiam suam obtrudere studet, ac difficillimum est intellectu, qui fieri potuerit, ut his scriptis Boëthium sanguine fidem catholicam testatum esse confirmari putaretur, ac vel ea scripta pro vera mortis viri clarissimi causa haberentur. Cassiodorius in „dementem Arium", „Arianamque pravitatem"[91]) etiam asperioribus, quam illis verbis invehitur, rationibus, propter quas eos condemnat, non ex offensis tantam contra artis logicae praecepta assumtis, ac tamen per dimidiam seculi partem in maxima semper fuit apud Arianos principes gratia.

Jam vero, quae hactenus commemoravimus, partim cursim tantum et quasi in transitu tractata, uberiori enim narrationi hic locus non erat, sufficere existimo ad referendam claram imaginem cogitandi scribendique rationis, quae in scriptis illis reperitur, probandumque, argumenta, quibus nonnulli, ea scripta a Boëthio philosopho nullo modo componi potuisse, confirmare conati sunt, ex ipsorum scriptorum subtiliore notitia minime esse nata. Sed orta esse videtur haec de libellis illis sententia inde, quod non satis perspicue intelligeretur, discrimen aliquod interesse inter eum, qui ecclesiae unum vel alterum decretum sola arte dialectica defendit, atque acrem fidei catholicae propugnatorem, sustentataque falsis et praesumptis opinionibus de libellorum illorum indole ac ratione; quas qui de-

[91]) Cf. praef. ad ps.; tom. II. p. 5; ad ps. 57 v. 9 al.

fendebant, studium orthodoxae fidei, quo mediae aetatis, quam dicunt, fabulae Boëthium flagrasse affirmaverant, etiam in scriptis, quae eius nomine circumferuntur, theologicis apparere, nimis denique gravia esse ea putarunt, quamvis — si cum philosophicis Boëthii libris, quos ut componeret, vir diligentissimus totius fere vitae vires impendit, ea comparaveris — praesente quadam causa adhortante orti ac parvi tantum momenti conatus videbuntur artis dialecticae praecepta ad probanda ecclesiae dogmata adhibendi. Quin etiam tam parvi momenti libelli ei videntur, ut contendere non dubitem: si mediae aetatis nescio quis scriptor Boëthii celeberrimi nomine scripta composuisset, multo ampliores profecto de talibus tantisque rebus tanto viro supposuisset libros. —

Superest igitur hoc solum, ut de tertio, secundum quod scripta illa falsa esse ac suppositia affirmatum est, argumento, *testimoniorum dico ante sec. XII. defectum*, pauca disserantur.

Quae scripta, si externam magnitudinem spectamus exigua, si disserendi rationem a superioribus redeuntia, si vocabula, quibus usus est scriptor, quasi privatis ac suis, difficilia ad intelligendum, ac vel cogitata [92]) brevitate et obscuritate composita, praecipuam aequalium audientiam sibi non fecerunt, quibus quidem ei libri Boëthii, qui ad philosophiam pertinebant, multo maioris pretii fuerunt. Unde factum est, ut scripta a viro, theologi nomine per totam vitam indigno, de theologia conscripta, parum respicerentur, quum praesertim, privatis dedicata, non ab omnibus recepta ac cognita viderentur, neque, prorsus nova disserendi ratione confecta, theologicam doctrinam, sed nihil, nisi dialecticam quandam explicationem placitorum dogmaticorum exhiberent [93]). Quare aequales scriptoris non

[92]) Cf. not 89 in fin.

[93]) A Cassiodorio igitur inter Hilarii, Ambrosii, Augustini, Nicetae episcopi scripta, partim ampliora, partim ad intelligendum faciliora, quibus de trinitate disputaverunt

potuerunt, quin non aliter de iis iudicarent, atque ipse de iis voluit iudicari, nimirum ut de primis hominis rudis conatibus. Sic quidem Cassiodorius, Isidorus Hispalensis, Gregorius Magnus philosophum nostrum ut dialecticum tantum ac mathematicum laudaverunt atque adhibuerunt [94]). Quodsi primo seculo post Boëthium argumenta externa non reperiuntur, quibus incorrupta integritas theologicorum scriptorum Boëthii probetur, non est, quod miremur, vel fortasse spuria ea esse colligamus. Subsequente autem seculo, quum, doctrina dogmatica stabilita ac principatum consecuta, praecipue in occidente cum literarum studia, tum etiam dialectica exturbata essent, vel ab orthodoxia turpissima servitute oppressa tenerentur, nemo fuit, qui copiosa, meditata, evigilata Boëthii scripta legeret. Quid mirum igitur, quod illa aetate, qua scriptor ipse parum cognitus fuit, minuti eius libri theologici non citarentur?

Atqui Boëthii nomen, olim celebratissimum, ab oblivione, qua obscuratum fuit, sequentis aetatis ratio atque natura vindicavit. Nam quum antea inter philosophos noster in summo honore fuisset, nunc a theologis plurimi aestimatus est. Atque evenit, quum nihil sit, quod fides hominum ac fama efficere non possit, ut inde ab ineunte seculo sexto *Luitprando*, Longobardorum rege, auctore [95]), ut mihi quidem videtur, Boëthius iis locis, qui testes mortis illius vel re vera fuerunt, vel fuisse videbantur, in martyrum

illos Boëthii libros non commemoratos esse (de instr. div. lit. c. 16 p. 519 b. 520 a), mirum esse non potest; Cassiodorio enim, cui scripta praecipue ad monachorum Vivariensium instructionem apta enumerare in animo erat, Boëthii libri obscuriores ac difficiliores visi sunt.

94) ll. cc.

95) Cf *Mabillon.* mus. Ital. I. p. 220 sqq. Acta SS. Maii coll. cet. a Godef. Henschenio et Daniele Papebrochio VI. Par. 1819 p. 8. *Staudemeiero* l. c. p. 372—391: *Ioannis Launoii* de varia Aristotelis in Academia Par. fortuna, Viteb. 1720.

sanctorumque numerum referretur, neque multo post a *Paulo Diacono* [96]) aliisque, qui hunc secuti sunt, pro optimo catholico homine haberetur. Item scripta Boëthii theologica, per se exigua, iam maximi existimata sunt, quoniam hac aetate cum theologia maxime dogmaticis placitis solis continebatur, tum maxime traditioni illi de Boëthii fide sanguine confirmata, lubentissimis animis a Christianis acceptae, scripta illa praesidio esse videbantur. Quodsi hac quidem aetate testimonia integritatis eorum desiderarentur, haud iniuria fortasse de iis suspicaremur. Atqui satis argumentorum habemus, ut a suspicione ea avertamus, et ea quidem non e duodecimo seculo, sed ex eo ipso tempore, quo iure quaeruntur. Namque *Hincmarus*, *Rhemensis* archiepiscopus (882), variis locis [97]) ad omnes, quos commemoravi, libros theologicos Boëthii provocat, ut amplissima in dogmatica doctrina auctoritate dignos, atque ipsi scriptori honorificam appellationem catholici amplissimaque sapientia et eruditione praediti philosophi imponit. Proxime ad Hincmarum accedit *Bruno*, X. sec. monachus Corbeiensis, qui in commentario supra laudato [98]) et scriptum de trinitate et librum contra Eu-

96) Hist. lib. XV. bibl. patr. VIII. p. 260, b; cf. supra not. [18]) — Gravissimum huius periodi testimonium commentarius ille, qui Bedae adscribitur, de Boëthii libro de trinitate afferret, dummodo integritas illius non ita in dubium vocaretur; quod solvere quum hic longum sit, ad commentarii eius testimonium omnino non provocare, mihi quidem visum est. —

97) Opp. I. p. 519 et 474 liber de trinitate, p. 521 lib. de duab. naturis, p. 460 libellus, qui „utrum cet." inscribitur, commemoratur, ex quibus omnibus scriptis multa Hincmarus et ampla descripsit; II. p. 60 in lib. de cavendis vitiis et virtutibus exercendis ad Carol. Calv: „— catholicus et sapientiae ac scientiae plenus philosophus," Boëthius appellatur.

98) cf. supra not. [27]). — Praeter eos, quos dixi, scriptores *Ratbertus*, monachus Sangallensis (a. 793), in libro, quem de varia monasterii Sangallensis fortuna scripsit, inter libros, a Hartmutho, ab an. 772 abbatis dignitate ornato, in communem monachorum usum in bibliotheca collocatos,

tychem ac Nestorium in genuinorum librorum Boëthii numero habet, sententiam suam eo confirmans, quod dicendi rationis in consolatione phil. miram similitudinem cum his libris esse, persuasum sibi habet ex studio illorum legendorum iam ab ineunte adolescentia incepto.

Post hunc *Aimo* monachus († 1008) [99]) philosophum nostrum in praestantissimorum catholicorum numero refert, quippe qui e libro Boëthii de trinitate coniecturam fecerit, aetate minus importuna egregium ecclesiae defensorem eum fuisse; iuxta hunc librum theologicum dialectica et mathematica Boëthii scripta percensentur. Ex eodem fere tempore superest testimonium, quod epistola *Notceri*, abbatis Sangallensis, ad Hugonem II. episcopum Sedunensem, a *Jac. Grimmio* nostra aetate edita,[100]) continet. Is enim in indice librorum, ab ipso ex Latino in Germanicum sermonem versorum, primo loco interpretationem consolationis phil. ac partis libri de trinitate a Boëthio confecti commemorat. Grimmius inter MXV. et MXX. annum epistolam hanc refert. Unde interpretatio illa initio XI. sive potius, quoniam primo percensetur, sub finem X.

etiam duos codices enumerat, alterum Boëthii cons. phil. alterum „alios quinque" eiusdem scriptoris libellos continentem. Quae quinque librorum mentio, tam leviter et quasi in transitu facta, impedit, quominus libros illos pro amplioribus quibusdam e philosophicis nostri scriptis habeamus, ac verisimile reddit, a Ratberto tres theologicos Boëthii libros et metaphysicos duo commentarios, supra memoratos, significari. cf. *Goldast*. rer. Alem. scriptores quidam vetusti, p. 10; *Pertz*. II. 72.

99) De gestis Franc. lib. II. c. 1: „Qui videlicet Boëthius quam disertus fuerit in literis saecularibus, quamque fuerit catholicus, ex eius comprobatur codicibus;" commemoratis deinde mathematicis et philosophicis B. scriptis ita Aimo pergit: „Porro eiusdem de sancta trinitate liber liquido ostendit, quam eximius suo, si licuisset, tempore sanctae ecclesiae fuisset colonus;" cf. *Cochlaei* vit. Theodorici ed. Jo. Peringskiold. Holmiae 1699 p. 271—284.

100) Göttinger gelehrte Anzeigen, 12. Jun. 1835. p. 907—915.

seculi conscripta esse videtur. Illud autem manifestum est, librnm illo tempore pro genuino Boëthii scripto habitum esse. Etiam *Siegebertus Gemblucensis* et *Honorius Augustodunensis*, qui iam XI. sec. inter scriptores ecclesiasticos claruerunt, Boëthium philosophum, cuius dialectica et mathematica scripta percensent, auctorem libri de trinitate agnoscunt.[101]) Omnia haec testimonia ante XII. sec. reperiuntur, omnia libros illos theologicos eidem Boëthio adscribunt, qui consolationem philosophiae ac mathematica et dialectica scripta confecit, atque ab ea aetate ordiuntur, quo iure exspectari possunt. Quodsi prioribus temporibus non inveniuntur, hoc aliter fieri non potuit, atque omnes dubitationes de integritate librorum theologicorum Boëthii, quae inde ortae sunt, quod duodecimo demum seculo eorum mentio facta esset, expulsae mihi videntur.

Primum igitur, ut supra demonstravimus, patet, ratione temporis, quo vixit, habita, eum externae Christianorum societati adiunctum fuisse, praesertim quum nullus in scriptis suis inveniatur locus, quo inimicum contra fidem Christianam prodat animum. Quum autem in amplis eius, quae ad philosophiam pertinent, scriptis ne verbo quidem fidei Christianae fiat mentio, et ipse Boëthius in vitae discrimine non ab illa, sed a philosophia petierit consolationem: facile est intellectu, eum non tam ardente orthodoxae fidei studio flagrasse, quam multi medii praecipue aevi scriptores contendissent. Attamen si alii, eum ne exteriorem quidem Christiani speciem prae se tulisse et scripta, quae eius nomine circumferuntur, theologica nullo modo posse ab eo esse composita, contenderunt, etiam hos falso opinatos esse,

[101]) cf. *Sigebert.* de vir. illust. c. 37; „nos ecclesiastici laudamus eum, quod librum de s. trinitate scripserit — —“; *Honor.* de illustr. eccl. script. ad a. 524: „Boëthius, patricius, vel consul, scripsit librum de s. trinitate et alium de consolatione et quadrivium de Graeco transtulit, id est arithmeticam, musicam, geometriam, astronomiam; dialecticam explanavit.“

ut supra demonstravimus, et temporis ratione habita probatur, et scriptorum illorum argumento ac cogitandi scribendique modo, qui in iis reperitur. Dogmata enim, quae in iis pertractantur, ea ipsa sunt, quae et tempore, quo Boëthius vixit, et in locis, in quibus versabatur vir egregius, imprimis erant pervulgata, quare, praesertim quum virorum rationem habeas, quorum consuetudine Boëthius usus est, dubitari non potest, quin, quamquam philosophiae maxime erat addictus, etiam eorum notitiam aliquam acceperit. Deinde libri illi viri esse videntur, qui non quasi toto pectore fidem Christianam amplexus sit, sed solo intellectu eam acceperit defenderitque rationibus e philosophia tantum assumtis. Multorum postremo eorumque antiquorum scriptorum testimoniis ea scripta a Boëthio composita agnoscentibus, nihil impedit, quo minus, aeque atque eos, quos de philosophia scripsit, theologicos quoque illos libros pro veris habeamus viri illustris operibus.

Quibus concordiam theologiae Boëthii et philosophiae me demonstrasse quum putarem, iam paucis explicandum mihi est, *quam vim Boëthius in aetatis, qua ipse vixit, praecipue autem in seriorum temporum theologiam habuerit.*

Quam vim, quod ad ipsam aetatem, Boëthii attinet, non ex ipsis eius theologicis scriptis exiisse, ex alto apparet silentio, quod, ut supra demonstravimus, Cassiodorius, Ennodius, Isidorus, alii eius temporis theologi de iis obtinuerunt; philosophicis tamen, quos composuerat, libris, ut toti seculi illius eruditioni provehendae, ita et sacrae doctrinae clarius ac subtilius tractandae multam et utilem praebuit operam. Multo magis autem scriptis eius utebantur mediae aetatis theologi, quare nonnulli Boëthium theologiae, quam dicunt, scholasticae principem et auctorem fuisse opinati sunt. Si voci „scholasticismi“ generalis notio subiicitur, quae quidem significat rationem, qua praecepta Aristoteleae dialecticae artis in certis dogmatis de religione

adhibeantur, non est, quod tum a Dupino dissentiamus, qui Boëthium primum fuisse censuit, qui mysteria Christianae religionis Aristotelis philosophia explicaverit, eamque disserendi rationem ingressus sit, qua postea scholastici tam egregio studio usi fuissent[102]), tum a Tiraboschio, qui Boëthium primum philosophiam scholasticam in theologiam induxisse contenderit.[103]) Atqui iam antea apud Augustinum aliosque initia scholasticae theologiae ea significatione reperiuntur. Sin scholasticismi vocabulo ea Christiana philosophia significatur, quae dialectica ratione necessariam coniunctionem rationis ac revelationis demonstrat, Boëthio prorsus nihil, nisi disputandi modus, secundum artis dialecticae praecepta institutus, cum hoc commune est. Quodsi ei speculativa investigatio religionis asciscitur, factum est hoc aut ab iis, qui de theologicis scriptis eius, quae in externa tantum dialectica versantur, falsum iudicium fecerunt et vim fortuitam sententiarum Christianarum in disputationibus de philosophia cum coniunctione utrarumque consilio facta commutarunt, aut ab iis, qui ei, qui in speculatione de placitis religionis Christianae versatur, exiguam opus esse cognitionem existimant veri illius in historia progressus. Ea ratio, qua Boëthius theologiam cum philosophia coniungit, plane externa est atque omnino aversa a scholasticorum, qua utraque in unum confunduntur. Quorum nemo ipsum theologicorum placitorum argumentum tam intactum illa dia-

102) „Boëce semble estre le premier, qui ait expliqué nos mystères par la philosophie d'Aristote, et qui se soit servi de la methode, que les scholastiques ont embrassé avec tant d'ardeur."

103) l. c. p. 57: „Ed egli fu el primo a render Latina, per cosi dire, la scolastica Filosophia: almeno non abbiamo autor Latino piu antico, che scrivesse di questo argomento. Anzi egli ancora prima d'ogni altro introdusse la Filosofia scolastica ancor nella Teologia, come si vede in alcuni Opuscoli teologici da lui composti, e in quello singolarmente contro Nestorio ed Eutyche."

lectica defensione reliquit, nemo religionis et philosophiae provincias tam accurate distinxit.

Quamquam igitur imitatione scriptorum eius theologicorum theologia scholastica nullum fere fructum e Boëthio cepit, plurimum tamen ille in eius disserendi rationem eo conduxit, quod scripta Aristotelea convertit. Prioribus temporibus ecclesiae Christianorum, quibus summa doctrinae orthodoxia illa, e conciliis profecta, nondum sancita fuit et philosophia etiam multum momenti ad dogmaticam doctrinam habuit, inter philosophos praecipue Plato a theologis magni aestimatus atque adhibitus est,[105]) cuius philosophia et synthetica disputandi ratione, et placitis ipsis, quae omnium rerum causas a deo ducendas praeceperunt, ideoque ad explicanda ea, quae sensibus percipiebantur, quasi dogmata, demonstratione non indigentia, accepta sunt, omnino cum religione quaque ac potissimum Christiana lege multum cognationis habuit, ut non mirum videatur, quod theologi illius aetatis in ea etiam vim τοῦ λόγου, quasi typum futurae religionis Christianae, perspicerent. Analytica autem Aristotelis disserendi ratio, quae nullam explicandi causam praecipere solebat, sed experientiam secuta ducem, a singulis proficebatur, multo minus ad religionem positivam, quam dicunt, pertinuit; imo adhibenda eius dialectica metaphisicisque eius cogitationibus saepenumero haereticae opiniones ortae sunt.

Cuius rei conditio plane mutata est, quum orthodoxiae placita primaria confecta et absoluta essent, neque quidquam amplius, nisi disputandi rationem perficere restaret. Quem ad finem multo magis Aristotelis dialectica, quam speculativa Platonis philosophia idonea fuit, quam in theologiam inductam confestim argumentum ipsum afficere eiusque rationem mutare necesse erat. Nihil magis ad theologiae scholasticae

106) De amore theologorum erga Platonem et Aristotelem, in tempus mutatum cf. *Jourdain*, recherches critiques sur l'age et l'origine des traductions latines d'Aristote.

finem quadravit, quam logica Aristotelis. Cuius archetypum Graecum quum vix quisquam in Occidente intelligeret, magno emolumento fuit, quod Boëthii interpretatione, ad verbum expressa, puro sermone confecta, illud compensatum est. Atque certo dici potest, neminem virorum doctorum tota aetate media illam superare, vel quidquam, quod eius esset simile, adiungere potuisse. Unde digna fuit, quae summa auctoritate frueretur, etiamsi non sola conversio scriptorum Aristoteleorum fuisset, quae in Occidente omnino ante XII. sec. cognita esset.[107]) Physicis contra ac metaphysicis Stagiritae libris facile carere potuerunt; quin etiam factum est, ut prima parte XII. seculi studium eorum, interpretationibus et ex Graeco, et ex Arabico sermone in Latinum conscriptis adiutum, magna vi, quam in artem dogmaticam formandam habuit, orthodoxiae magis damno, quam utilitati fuerit.[108]) Itaque solus Boëthius certaminibus illis dialecticis arma praebuit, quare media aetate tantam auctoritatem consecutus est, et eam quidem scriptis a quoque theologico consilio remotis, ut scholastici praedicando eorum auctore in commentariis de illius libris inter se certarent.[109]) Atqui etiam

107) cf. *Iourdain* l. c. praecipue p. 225 – 236, ubi summam quasi eorum, quae accurata aeque atque operosa perscrutatione invenit, tradidit. —

108) Aristotelis libri de metaphysica in conc. Par. an. 1209 damnati sunt; cf. *Launoius* l. c. p. 127 sqq.; *Jourdain* p. 201 sqq. 218. —

109) Vel ipsi Aristoteli atque etiam divino Platoni Boëthius a scholasticorum nonnullis praelatus esse videtur, cf. e. g. in *Pezii* thes. anecd. t. III, p. II, p. 144, 146, Othonis dialogum de tribus quaestionibus: „Nam dialecticos quosdam ita simplices inveni, ut omnia s. scripturae dicta iuxta dialecticae auctoritatem constringenda esse decernerent, magisque Boëtio, quam sanctis scriptoribus in plurimis dictis crederent. — — Maior mihi cura est, legendo vel scribendo sequi sanctorum dicta, quam Platonis, vel Aristotelis ipsiusque etiam Boëtii dogmata.“ — Scholasticorum de nostro testimonia vide ap. *Iourdain* p. 24—25.

libelli eius theologici propter auctoritatem solam, quam auctor eorum scriptis dialecticis consecutus erat, amplissimis commentariis ornati sunt.

Haec fere sufficiant ad Boëthii studia doctrinae Christianae adumbranda, qualia fuerint, quam rationem ad eruditionem et praecipue theologiam illius subsequentisque temporis habuerint.

Corrigenda.

Pag. 10. lin. 38. pro *quam* l. *quem*.
„ 11. „ 33. „ *noster* l. *ille*.
„ 12. „ 2. post *videret* add. [13]).
„ 13. „ 34. „ *ipse* add. „*in*"; ibid. lin. 35. pro *sui* l. *suae*.
„ 22. „ 27. pro *nostrum* l. *Boëthium*.
„ 26. „ 10. post *esse* add. [39]).
„ 26. „ 30. pro ἐδιδάσκουσιν l. ἐκδιδάσκουσιν; lin. 33. pro ἔκατέρόυς l. ἑκατέρους; lin. 39. pro κἀι l. κἂν.
„ 28. „ 23. pro *dividiamus* l. *dividimus*.
„ 28. „ 32. „ εἰδὰς l. εἰδὼς
„ 29. „ 35. „ ἐν ἀνθρώπησιν l. ἐνανθρώπησιν.
„ 31. „ 24. „ *exprobavit* l. *exprobravit*.
„ 32 „ 31. „ *quem* l. *quam*.
„ 33. in fine post σιν del. comma.
„ 35. lin. 23. pro *Boëthius* l. *scriptor libelli illius*.
„ 40. „ 34. del. comma post *sacrarum* et pon. post *comparaverit*.
„ 44. „ 21. post *linguam* ponatur comma.
„ 47. „ 13. pro *unumquamque* l. *unamquamque*.
„ 48. „ 25. „ *Graecam* l. *Latinam*.
„ 52. „ 21. „ *in doctorum* l. *indoctorum*.
„ 54, „ 19. „ *tantam* l. *tantum*.
„ 56. „ 37. „ *Staudemeiero* l. *Staudenmeieri*.

---

tychem ac Nestorium in genuinorum librorum Boëthii numero habet, sententiam suam eo confirmans, quod dicendi rationis in consolatione phil. miram similitudinem cum his libris esse, persuasum sibi habet ex studio illorum legendorum iam ab ineunte adolescentia incepto.

Post hunc *Aimo* monachus († 1008) [99]) philosophum nostrum in praestantissimorum catholicorum numero refert, quippe qui e libro Boëthii de trinitate coniecturam fecerit, aetate minus importuna egregium ecclesiae defensorem eum fuisse; iuxta hunc librum theologicum dialectica et mathematica Boëthii scripta percensentur. Ex eodem fere tempore superest testimonium, quod epistola *Notceri*, abbatis Sangallensis, ad Hugonem II. episcopum Sedunensem, a *Jac. Grimmio* nostra aetate edita, [100]) continet. Is enim in indice librorum, ab ipso ex Latino in Germanicum sermonem versorum, primo loco interpretationem consolationis phil. ac partis libri de trinitate a Boëthio confecti commemorat. Grimmius inter MXV. et MXX. annum epistolam hanc refert. Unde interpretatio illa initio XI. sive potius, quoniam primo percensetur, sub finem X.

etiam duos codices enumerat, alterum Boëthii cons. phil. alterum „alios quinque" eiusdem scriptoris libellos continentem. Quae quinque librorum mentio, tam leviter et quasi in transitu facta, impedit, quominus libros illos pro amplioribus quibusdam e philosophicis nostri scriptis habeamus, ac verisimile reddit, a Ratberto tres theologicos Boëthii libros et metaphysicos duo commentarios, supra memoratos, significari. cf. *Goldast.* rer. Alem. scriptores quidam vetusti, p. 10; *Pertz.* II. 72.

99) De gestis Franc. lib. II. c. 1: „Qui videlicet Boëthius quam disertus fuerit in literis saecularibus, quamque fuerit catholicus, ex eius comprobatur codicibus;" commemoratis deinde mathematicis et philosophicis B. scriptis ita Aimo pergit: „Porro eiusdem de sancta trinitate liber liquido ostendit, quam eximius suo, si licuisset, tempore sanctae ecclesiae fuisset colonus;" cf. *Cochlaei* vit. Theodorici ed. Jo. Peringskiold. Holmiae 1699 p. 271—284.

100) Göttinger gelehrte Anzeigen, 12. Jun. 1835. p. 907—915.

seculi conscripta esse videtur. Illud autem manifestum est, librnm illo tempore pro genuino Boëthii scripto habitum esse. Etiam *Siegebertus Gemblacensis* et *Honorius Augustodunensis*, qui iam XI. sec. inter scriptores ecclesiasticos claruerunt, Boëthium philosophum, cuius dialectica et mathematica scripta percensent, auctorem libri de trinitate agnoscunt.[101]) Omnia haec testimonia ante XII. sec. reperiuntur, omnia libros illos theologicos eidem Boëthio adscribunt, qui consolationem philosophiae ac mathematica et dialectica scripta confecit, atque ab ea aetate ordiuntur, quo iure exspectari possunt. Quodsi prioribus temporibus non inveniuntur, hoc aliter fieri non potuit, atque omnes dubitationes de integritate librorum theologicorum Boëthii, quae inde ortae sunt, quod duodecimo demum seculo eorum mentio facta esset, expulsae mihi videntur.

Primum igitur, ut supra demonstravimus, patet, ratione temporis, quo vixit, habita, eum externae Christianorum societati adiunctum fuisse, praesertim quum nullus in scriptis suis inveniatur locus, quo inimicum contra fidem Christianam prodat animum. Quum autem in amplis eius, quae ad philosophiam pertinent, scriptis ne verbo quidem fidei Christianae fiat mentio, et ipse Boëthius in vitae discrimine non ab illa, sed a philosophia petierit consolationem: facile est intellectu, eum non tam ardente orthodoxae fidei studio flagrasse, quam multi medii praecipue aevi scriptores contendissent. Attamen si alii, eum ne exteriorem quidem Christiani speciem prae se tulisse et scripta, quae eius nomine circumferuntur, theologica nullo modo posse ab eo esse composita, contenderunt, etiam hos falso opinatos esse,

101) cf. *Sigebert.* de vir. illust. c. 37; „nos ecclesiastici laudamus eum, quod librum de s. trinitate scripserit — —“; *Honor.* de illustr. eccl. script. ad a. 524: „Boëthius, patricius, vel consul, scripsit librum de s. trinitate et alium de consolatione et quadrivium de Graeco translulit, id est arithmeticam, musicam, geometriam, astronomiam; dialecticam explanavit.“

ut supra demonstravimus, et temporis ratione habita probatur, et scriptorum illorum argumento ac cogitandi scribendique modo, qui in iis reperitur. Dogmata enim, quae in iis pertractantur, ea ipsa sunt, quae et tempore, quo Boëthius vixit, et in locis, in quibus versabatur vir egregius, imprimis erant pervulgata, quare, praesertim quum virorum rationem habeas, quorum consuetudine Boëthius usus est, dubitari non potest, quin, quamquam philosophiae maxime erat addictus, etiam eorum notitiam aliquam acceperit. Deinde libri illi viri esse videntur, qui non quasi toto pectore fidem Christianam amplexus sit, sed solo intellectu eam acceperit defenderitque rationibus e philosophia tantum assumtis. Multorum postremo eorumque antiquorum scriptorum testimoniis ea scripta a Boëthio composita agnoscentibus, nihil impedit, quo minus, aeque atque eos, quos de philosophia scripsit, theologicos quoque illos libros pro veris habeamus viri illustris operibus.

Quibus concordiam theologiae Boëthii et philosophiae me demonstrasse quum putarem, iam paucis explicandum mihi est, *quam vim Boëthius in aetatis, qua ipse vixit, praecipue autem in seriorum temporum theologiam habuerit.*

Quam vim, quod ad ipsam aetatem, Boëthii attinet, non ex ipsis eius theologicis scriptis exiisse, ex alto apparet silentio, quod, ut supra demonstravimus, Cassiodorius, Ennodius, Isidorus, alii eius temporis theologi de iis obtinuerunt; philosophicis tamen, quos composuerat, libris, ut toti seculi illius eruditioni provehendae, ita et sacrae doctrinae clarius ac subtilius tractandae multam et utilem praebuit operam. Multo magis autem scriptis eius utebantur mediae aetatis theologi, quare nonnulli Boëthium theologiae, quam dicunt, scholasticae principem et auctorem fuisse opinati sunt. Si voci „scholasticismi“ generalis notio subiicitur, quae quidem significat rationem, qua praecepta Aristoteleae dialecticae artis in certis dogmatis de religione

adhibeantur, non est, quod tum a Dupino dissentiamus, qui Boëthium primum fuisse censuit, qui mysteria Christianae religionis Aristotelis philosophia explicaverit, eamque disserendi rationem ingressus sit, qua postea scholastici tam egregio studio usi fuissent[102]), tum a Tiraboschio, qui Boëthium primum philosophiam scholasticam in theologiam induxisse contenderit.[103]) Atqui iam antea apud Augustinum aliosque initia scholasticae theologiae ea significatione reperiuntur. Sin scholasticismi vocabulo ea Christiana philosophia significatur, quae dialectica ratione necessariam coniunctionem rationis ac revelationis demonstrat, Boëthio prorsus nihil, nisi disputandi modus, secundum artis dialecticae praecepta institutus, cum hoc commune est. Quodsi ei speculativa investigatio religionis asciscitur, factum est hoc aut ab iis, qui de theologicis scriptis eius, quae in externa tantum dialectica versantur, falsum iudicium fecerunt et vim fortuitam sententiarum Christianarum in disputationibus de philosophia cum coniunctione utrarumque consilio facta commutarunt, aut ab iis, qui ei, qui in speculatione de placitis religionis Christianae versatur, exiguam opus esse cognitionem existimant veri illius in historia progressus. Ea ratio, qua Boëthius theologiam cum philosophia coniungit, plane externa est atque omnino aversa a scholasticorum, qua utraque in unum confunduntur. Quorum nemo ipsum theologicorum placitorum argumentum tam intactum illa dia-

102) „Boëce semble estre le premier, qui ait expliqué nos mystères par la philosophie d'Aristote, et qui se soit servi de la methode, que les scholastiques ont embrassé avec tant d'ardeur."

103) l. c. p. 57: „Ed egli fu el primo a render Latina, per cosi dire, la scolastica Filosophia: almeno non abbiamo autor Latino piu antico, che scrivesse di questo argomento. Anzi egli ancora prima d'ogni altro introdusse la Filosofia scolastica ancor nella Teologia, come si vede in alcuni Opuscoli teologici da lui composti, e in quello singolarmente contro Nestorio ed Eutyche."

lectica defensione reliquit, nemo religionis et philosophiae provincias tam accurate distinxit.

Quamquam igitur imitatione scriptorum eius theologicorum theologia scholastica nullum fere fructum e Boëthio cepit, plurimum tamen ille in eius disserendi rationem eo conduxit, quod scripta Aristotelea convertit. Prioribus temporibus ecclesiae Christianorum, quibus summa doctrinae orthodoxia illa, e conciliis profecta, nondum sancita fuit et philosophia etiam multum momenti ad dogmaticam doctrinam habuit, inter philosophos praecipue Plato a theologis magni aestimatus atque adhibitus est,[105]) cuius philosophia et synthetica disputandi ratione, et placitis ipsis, quae omnium rerum causas a deo ducendas praeceperunt, ideoque ad explicanda ea, quae sensibus percipiebantur, quasi dogmata, demonstratione non indigentia, accepta sunt, omnino cum religione quaque ac potissimum Christiana lege multum cognationis habuit, ut non mirum videatur, quod theologi illius aetatis in ea etiam vim τοῦ λόγου, quasi typum futurae religionis Christianae, perspicerent. Analytica autem Aristotelis disserendi ratio, quae nullam explicandi causam praecipere solebat, sed experientiam secuta ducem, a singulis profiscebatur, multo minus ad religionem positivam, quam dicunt, pertinuit; imo adhibenda eius dialectica metaphisicisque eius cogitationibus saepenumero haereticae opiniones ortae sunt.

Cuius rei conditio plane mutata est, quum orthodoxiae placita primaria confecta et absoluta essent, neque quidquam amplius, nisi disputandi rationem perficere restaret. Quem ad finem multo magis Aristotelis dialectica, quam speculativa Platonis philosophia idonea fuit, quam in theologiam inductam confestim argumentum ipsum afficere eiusque rationem mutare necesse erat. Nihil magis ad theologiae scholasticae

106) De amore theologorum erga Platonem et Aristotelem, in tempus mutatum cf. *Jourdain*, recherches critiques sur l'age et l'origine des traductions latines d'Aristote.

finem quadravit, quam logica Aristotelis. Cuius archetypum Graecum quum vix quisquam in Occidente intelligeret, magno emolumento fuit, quod Boëthii interpretatione, ad verbum expressa, puro sermone confecta, illud compensatum est. Atque certo dici potest, neminem virorum doctorum tota aetate media illam superare, vel quidquam, quod eius esset simile, adiungere potuisse. Unde digna fuit, quae summa auctoritate frueretur, etiamsi non sola conversio scriptorum Aristoteleorum fuisset, quae in Occidente omnino ante XII. sec. cognita esset.[107]) Physicis contra ac metaphysicis Stagiritae libris facile carere potuerunt; quin etiam factum est, ut prima parte XII. seculi studium eorum, interpretationibus et ex Graeco, et ex Arabico sermone in Latinum conscriptis adiutum, magna vi, quam in artem dogmaticam formandam habuit, orthodoxiae magis damno, quam utilitati fuerit.[108]) Itaque solus Boëthius certaminibus illis dialecticis arma praebuit, quare media aetate tantam auctoritatem consecutus est, et eam quidem scriptis a quoque theologico consilio remotis, ut scholastici praedicando eorum auctore in commentariis de illius libris inter se certarent.[109]) Atqui etiam

[107]) cf. *Iourdain* l. c. praecipue p. 225 – 236, ubi summam quasi eorum, quae accurata aeque atque operosa perscrutatione invenit, tradidit. —

[108]) Aristotelis libri de metaphysica in conc. Par. an. 1209 damnati sunt; cf. *Launoius* l. c. p. 127 sqq.; *Jourdain* p. 204 sqq. 218. —

[109]) Vel ipsi Aristoteli atque etiam divino Platoni Boëthius a scholasticorum nonnullis praelatus esse videtur, cf. e. g. in *Pezii* thes. anecd. t. III, p. II, p. 144, 146, Othonis dialogum de tribus quaestionibus: „Nam dialecticos quosdam ita simplices inveni, ut omnia s. scripturae dicta iuxta dialecticae auctoritatem constringenda esse decernerent, magisque Boëtio, quam sanctis scriptoribus in plurimis dictis crederent. — — Maior mihi cura est, legendo vel scribendo sequi sanctorum dicta, quam Platonis, vel Aristotelis ipsiusque etiam Boëtii dogmata.“ — Scholasticorum de nostro testimonia vide ap. *Iourdain* p. 24—25.

libelli eius theologici propter auctoritatem solam, quam auctor eorum scriptis dialecticis consecutus erat, amplissimis commentariis ornati sunt.

Haec fere sufficiant ad Boëthii studia doctrinae Christianae adumbranda, qualia fuerint, quam rationem ad eruditionem et praecipue theologiam illius subsequentisque temporis habuerint.

Corrigenda.

Pag. 10. lin. 38. pro *quam* l. *quem*.
„ 11. „ 33. „ *noster* l. *ille*.
„ 12. „ 2. post *videret* add. [13]).
„ 13. „ 34. „ *ipse* add. „*in*"; ibid. lin. 35. pro *sui* l. *suae*.
„ 22. „ 27. pro *nostrum* l. *Boëthium*.
„ 26. „ 10. post *esse* add. [39]).
„ 26. „ 30. pro ἐδιδάσκουσιν l. ἐκδιδάσκουσιν; lin. 33. pro ἕκατέρούς l. ἑκατέροις; lin. 39. pro καὶ l. κἂν.
„ 28. „ 23. pro *dividiamus* l. *dividimus*.
„ 28. „ 32. „ εἰδὰς l. εἰδὼς
„ 29. „ 35. „ ἐν ἀνθρώπησιν l. ἐνανθρώπησιν.
„ 31. „ 24. „ *exprobavit* l. *exprobravit*.
„ 32 „ 31. „ *quem* l. *quam*.
„ 33. in fine post σιν del. comma.
„ 35. lin. 23. pro *Boëthius* l. *scriptor libelli illius*.
„ 40. „ 34. del. comma post *sacrarum* et pon. post *comparaverit*.
„ 44. „ 21. post *linguam* ponatur comma.
„ 47. „ 13. pro *unumquamque* l. *unamquamque*.
„ 48. „ 25. „ *Graecam* l. *Latinam*.
„ 52. „ 21. „ *in doctorum* l. *indoctorum*.
„ 54, „ 19. „ *tantam* l. *tantum*.
„ 56. „ 37. „ *Staudemeiero* l. *Staudenmeieri*.